ASTROLOGIÆ NOVA METHODVS

FRANCISCI ALLÆI
ARABIS CHRISTIANI.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

ANNO M. DC. LIIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SORS AVTHORIS:

NON teneor nimio & cæco patriæ meæ amore; ſi dixero Arabiam eſſe fælicem, communi gentium omnium conſenſu, talis denominatur, tum comparata vaſtitoti adjacentium regionum, tum ob cæli perpetuam ſerenitatem, ſolique in fructibus, aromatibus, medicamentis, & cæteris, quæ humanæ vitæ blandiuntur, fœcunditatem lactent ſenſibilia, qui viuunt ex ſenſu. Mihi, altius rem æſtimanti, hæc terræ plaga videtur fælicior, quod ab ipſo mundi exordio, præſtantium virorum, & in Aſtrorum diuina ſcientia peritiſſimorum, fœcunda parens extiterit. Quid enim Deo proximius quam in diuinæ ſuæ prouidentiæ conſilium velut admitti; Noſſe cælorum motus & vires, quibus tanquam inſtrumentis, naturæ leges dicit, publica, priuataque fata conformat, ita rerum omnium ſublunarium effectus, in primis ſuis principijs ſpeculari. Hæc mihi videtur præſtantior, quæ poteſt hominibus contingere ſapientia, tum ſpeculatiua, tum practica, cuius delitias & vtilitates infinitum eſset recènſere. In hac cum mihi contigiſſet habere doctiſſimos parentes, illam me ab infantia docuerunt, itaut balbutiendo, p[illegible]um effari cæperim Stellarum nomina; illos in cælo lucidos caracteres pe[illegible]ſum agnoſcere; quid ſonent compoſiti, judicare, & in hoc cæleſti libro leg[illegible]e, matureſcente per ætatem judicio, didicerim. Vix decimum quintum agebam annum, cum linguam Italicam in oriente vigentem, edoctus à patre mercatore, offendi duos viros, veſte ciniricia, lacera, fragmentis indecorè conſuta, nudis pedibus, qui tamen in hoc totius corporis habitu, ſummam ſignificante pauperiem, modeſtè latos & neſcio quid majeſtatis ſpirantes vultus præ ſe ferebant. Viam, ſubſidiumque aliquod lingua tum noſtra patria, parum efformata, tum Italica petentes, naturali commotus humanitate domum perduxi. Viribus cibo reparatis, mirum eſt quam ſublimia nobis de Deo, eiuſque prouidentia; de humana in virtute poſita fælicitate dixerint. Auxit amorem quod Aſtrologiæ non ignari, de ea nobis ſcientia blandiebantur, & hinc argumenta ducebant ad prouidentiæ diuinæ probationem. Paulò poſt à Chriſtianis vicinis noſtris, ſummo cultu, & eo fere qui rebus diuinis defertur, excepti, ſedem ibi fixerunt: Sic eorum familiari conſuetudine, pijſque ſermonibus, in fide Chriſtiana ſum inſtructus, & ſalutari lauacro recreatus, cum tota familia. Illi publicam juuenum inſtitutionem ſuſcipientes, me inter alios ſingulari beneuolentia complexi ſunt; linguam Latinam Italicæ affinem, facili methodo, Phyſicam & Theologiæ rudimenta, docuerunt; Sæpè monentes, ne abuterer Aſtrologia, ſed certò crederem, eam

non officere humanæ libertati , nec diuinæ prouidentiæ decretis. Elapſis in talibus , decem circiter annis cepit me cupiditas , mundum luſtrandi , Magiſtrorum meorum exemplo , etiam Aſtrorum , quibus perpetuus eſt circa ſe mutuò , ad virtutes excipiendas & effundendas , decurſus. Itaque nauigio vectus in Italiam , præcipuas vrbes , locorum genium , hominum indolem , ſtudia , mores , pro vario ſyderum dominio , notaui ; Aſtrologiæ peritos conſului , aliquid à ſingulis diſcens. Hinc in Galliam profectus ſum , linguæ , cui Magiſtrorum meorum familiari colloquio , aſſueueram , gentiſque mihi propter illos charæ , deſiderio : luſtratis aliquibus Prouincijs , veni Lutetiam , ſed ignotus , veſte linguaque non peregrina , etiam celata profeſſione. Nam tunc ſub potentiſſimo purpurato Regni miniſtro , qui Saturnum habebat retrogradum , duriùs habebantur Aſtrologi , quorum duos inſignes vidi Maſſiliæ ad triremes damnatos. Occultè tamen virorum bonorum & peritorum familiaritate vſus ſum , Eorum maximè , quibus poſt Deum fidem Chriſtianam , debebam. His me eripiens periculis, & malorum huic vrbi proximè imminentium metu perculſus , in cæteras orbis partes peregrinationem aggredior. Sic nauem conſcendens vt in Hiſpanias proficiſcerer , horrenda jactatus tempeſtate , & in vrbem Croiſil Gallicæ Britanniæ , fracta naue , & vix vitato inter ſcopulos , qui portum circonſtant , naufragio , ejectus ſum. Illic fortè tunc aderat Inclitus Marchio d'Aſſerat , qui me ſemiuiuum humaniſſimè collegit , in proximam arcem ſuam perduxit ; humilem Hoſpitem affectu ſic effuſo excepit , vt me non pœniteret fœlicis periculi , quod fortè tunc per directionem occurrentes Saturnus & Iupiter in piſcibus coniuncti ſignifficauerant. Miratus ſum potentiſſimum Nobilem , rebus bellicis Illuſtrem , etiam ſtudiorum amantiſſimum , quaſi compendium quoddam mundi , in cujus themate , Mars, Sol , Mercurius in decima juncti ſunt. Luſtraui conſertiſſimam eius Bibliothecam , libris cujuſque diſciplinæ ordine ſuo poſitis. Et cum in Aſtrologos , oculos manuſque auidius injeciſſem , quæſiuit , an hanc artem callerem , modeſtè confeſſus ſum , me ejus non eſſe ignarum ; hinc accenſa curioſitate , quidquid in ſecretis habebam aperto ſinu libens expoſui ; petijt à me ſingularem quam habebam methodum , fatumque vniuerſi ; tranſcripſi, humaniſſimo patrono gratus obtuli. Cum autem in tradita curioſius inquireret, hæſit , dixitque ſe paria quædam viſa Pariſijs , apud virum Religioſum non incelebrem. Reſpondi me eadem quæ nunc Domino offerebam , Religioſo viro dediſſe , nulla adjecta conditione, ita quod dono acceperat , ſuum poſſe aſſerere potiſſimum authore latebras affectante , & nolente tunc nominari. Eum tamen virum , inquiebam , ſic exiſtimo bonæ fidei , vt datorem , cùm de eo fuerit controuerſia , non inficietur. Ita prædicto Domino dedi libellum hunc , & ſimul quam petijt vitæ , ſortiſque meæ rationem. Tum ab eo magnifico donatus viatico , ceptum iter in Hiſpanias , aliaſque orbis partes proſequor , ad inſtar Solis ab Occidente in Orientem rediturus , tandem in cœlum.

Mihi & amicis,
Procul eſto prophanum vulgus.
ASSERAC.


ASTROLOGIÆ NOVA METHODVS,

AD LECTOREM.

OMNES qui de rebus Aſtrologicis ſcripſere, conſentiunt in aſſignandis proprietatibus, & ſignificationibus Signorum, Domorum, Stellarum fixarum, Planetarum, eorumque Aſpectuum; Omnes eadem ab Haly, Albumazar, & antiquis noſtris Arabibus accepta, inſtar Echo repetunt: Ideò quæ in tot Authorum libris habentur, hic tranſcribere vanum & ſuperfluum eſſet. Huius ſcientiæ principia ſuppono, ſcientibus loquor, & ex ea tantum parte, qua potiſſimum Aſtrologi deficiunt, nouæ methodi ſubſidium affero. Eorum præcipua difficultas eſt in aſſignando tempore quo præuiſus generaliter Aſtrorum effectus, continget. Ars directionis qua vtuntur varia eſt apud diuerſos, multis implicata difficultatibus, tam incerta, vt cum diuturno calculo ſe torſerint, vni euentui, cæteri non concordent; aût quia ars ipſa vera non eſt, ab antiquis multum diſſentiens, aut quia ſuper æſtimatiuo non vero tempore erigitur figura; & ne iam ſuſceptus labor calculi ſit iterum, iterumque fruſtra tentandus, graues qui contigerunt effectus, aſſignant leuibus cauſis, vnde nunquam futuros prædixiſſent. Si videant euentus judicijs ſuis non reſpondere, dicunt tardari, donec vis directionis augeatur, profectione, reuolutione, tranſitu, quaſi condicta inter Planetas die, quæ tamen diu expectata, ſpem non minus fallit. Non miror quædam certò non prædici, nam aſſerit Ptolomæus ſcientiam hanc eſſe conjecturalem; quamuis ad eam conſtituendam præterita ſæcula operas ſuas contulerint, nondum ad certitudinem perducta eſt; multa majorum labor aperuit, plura quæ poſteri deſiderent, ſuperſunt. Rerum natura ſacra ſua non ſimul tradit; ex arcanis ſuis aliud hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit, aſpiciet: tam altè poſita tardius ad nos perueniunt; & ſicut inferioris, ſic ſuperioris cœleſtiſque mundi partes prius incognitas, ars humana quotidie detegit. Igitur in re tam operoſa, nouam hanc methodum, velut ſymbolum conferimus. Nouam vocamus, quia velut rediuiua, & in orbe res præteritas ſucceſſiuè reſtituente, præfert eam quam hic poſſumus habere nooitatem. Hic eſt enim, vt opinor, verus procedendi modus vſurpatus ab antiquis, qoi ſine magna hac tabularum ſupellectile, ad directiones, vt nunc fiunt, neceſſaria; ſine hoc diuturno & acuto calculi morbo, figuras, in electionibus, quæſtionibos, natiuitatibus, erigebant faciles, expeditas, modo ſcilicet æquali, vel ſaltem habita ratione decimæ in figura modo inæquali erecta, vt videre eſt apud Haly, Iulium Firmicum, cæteroſque veteres. Abſit vt improbem receptum & vſitatum hoc tempore morem in figurarum judicio; multis ſuppono confirmatum rationibus & experimentis, ſed non pigeat & hanc experiri methodum in figura ſic diſpoſita, vt vtrumqoe liceat. AMICE LECTOR, nullo tibi notus nomine, non exigo fidem, ſed ad experientiam prouoco: Proba figuræ ſequentis vſum, ſi verum repereris, Lauda Deum, lucis huius largitorem.

FIGVRA VNIVERSALIS
AD EXPENDENDVM QVODLIBET THEMA ASTROLOGICVM.

Fig. 1.



EXPOSITIO FIGVRÆ.

HÆC Figura conſtat ſeptem orbibus, compactis, & hærentibus communi centro. Primus orbis immobilis continet 360. gradus: In eodem orbe ductæ lineæ faciunt diuiſiones annorum vitæ contra ordinem Signorum, harum quælibet continens ſex gradus, ſignificat annum. Sic vita nati regulariter conſtat annis ſexaginta; quod ſi exceſſerit, iterandus eſt circulus, & prior annus contra ordinem ſignorum conſtans ſex gradibns, ſignificabit annum 61. Secundus, annum 62. Tertius, annum 63. & ſic de reliquis, prout infra fuſius explicabitur, & patebit manu operi admota. In ejuſdem orbis ſuperiori parte ab Horoſcopo æquali ad decimam, & à decima ad ſeptimam, eſt diuiſio gradnum Zodiaci, quorum quilibet ſignificat annum vitæ, & cum Horoſcopus aut decima, peruenit ad gradus in quibus ſunt Planetarum aut corpora aut aſpectus, conueniens illis effectus ſequitur. Hanc directionem vocamus nonagenariam, qnia concluditur quarta parte circuli in 90. gradus diuiſa. Aliam vocamus ſexagenariam quia aſſignat annos toti circulo in 60. partes diuiſo.

Si quæras, *Primò*, quare Zodiacus ſic diuidatur in 60. partes, ſufficit reſpondere cum Goglenio Aſtronomiæ lib. 1. c. 7. Taliter veteres Aſtrologos circulum diuiſiſſe, itaut quilibet quadrans fuerit quindecim partium. Cenſorinus de die natali cap. 14. ſic partitur qnatuor hominis ætates quarum quælibet eſt 15. annorum. Petrus Bungi de numeris in numero 60. aſſerit Græcos circulum diuiſiſſe tantum in 60. partes. Talis diuiſionis ratio petenda eſt ex eo quod antiqui ſphæricum intelligentes cœlum, ad eius partitionem primum proceſſerunt hac naturali methodo, vt ex ſemidiametro periphœriam in 6. æquales partes diuiderent, tum quamlibet fecerunt denariam; Denarius enim numerus eſt vnitas ſecunda perfectior, creatricis & omnia complectentis monadis effigies, ita facti ſunt 60. gradus, & prout in illis exiſtunt ſigna, planetarnm corpora & aſpectus, ſic vita per ætates & annos illis reſpondentes afficitur, ſicut cera mollis excipit impreſſi ſibi ſigilli figuras, ordine quo ſunt in illo diſpoſitæ.

Recentiores autem partes illas ſexaginta, duxerunt ſexcies, vt circulus eſſet partium 360. Semicirculus 180. Quadrans 90. Circulum ſic diuidendo in 60. partes, fit, vt vita hominis quæ ſolet attingere annum ſexageſimum, perluſtret omnes gradus ſuæ figuræ præſentia aut aſpectu planetæ inſignes, quod non contingit, ſi fiant directiones ſolito modo, harum enim quædam vltra centeſimum annum producuntur; & ſic fruſtra videntur eſſe in figura planetæ, ad quos vita naturali ſuo curſu procedens, non peruenit. Sanè debet ſicut in magno mundo, ſic in paruo ſcilicet in homine, dari locus circnlationi, itaut fiat reditus in punctum à quo incepit motus, & iterum ab illo receſſus; Id autem fit, ſi vita anno ſexageſimo velut completa, iteretur, expertoſque jam gradus decurrat; vt ſic homo velut Ianus, id eſt Noëmus, bina facie, duplex videat ſæculum, primum corruptum paſſionibus, ſecundum illis ſedatis poſt annum ſexageſimum longè purius. Huic circulationi congruit Senarius circularis numerus, eſt enim bina trinitas, ſignificans ſummæ Trinitatis deſcenſum in operationem, & reditum creaturarum in ſuum principium. Sex diebus creatus mundus, reſtituitur intra ſex magnos annos quorum quilibet eſt ſexcies ſexaginta, id eſt 360. Sic conueniens eſt

vt vita hominis conſtet vnitate denaria ſexcies repetita, & ita compendioſè referat in ſe redeuntem motum vniuerſi. Denaria quidem illi tribuitur vnitas, quia vt 10. complectitur omnes inferiores numeros, & per illum incipiunt omnes ſuperiores progredi, ſic homo vtriuſque mundi corporei, & intellectualis horizon, eminenter complectitur inferiorum creaturarum perfectiones, & eſt primus inferior intellectualium gradus. Ex his collige, LECTOR, quod ſi fundamentum diuidendi ſæcula, gradus & tropicos Zodiaci, menſes anni, vitam hominis, ſit *ſenarius* numerus, eadem ejus eſt ratio in 60. ac in 360. Diuiſionis enim in 360. origo & principium eſt 60. Hæc igitur diuiſio ſimplicior eſt, verior & ſincerior, vt origini ſuæ, ſenario ſcilicet, proximior, etiam conuenientior, vt diximus, quæ fit per ſex decem, ideſt 60. quàm per ſexcies ſexaginta, ideſt 360.

Secundò, Si quæras quare fiat proceſſus contra ordinem ſignorum, id mirum videri non debet, cùm ſit motus primi mobilis in cœlis præcipuus, & quo ſingulis diebus planetæ, ſtellæ, cœli omnes feruntur ab oriente in occidentem. Oriens enim habetur dextra pars cœli, à qua ſicut in animalibus incipit motus; hinc etiam nomen orientis, tanquam terminus à quo ſemper in ſacris litteris præponitur occidenti, fit adoratio verſus illam partem, templa quoque noſtra eam reſpiciunt. Rodigin. lib. 5. cap. 3. refert antiquos dum aras ſacra ſaltatione circuibant eas incœpiſſe à dextris ſiniſtrorſum cœli motum ſequentes. Sic etiam communiter fiunt directiones per aſcenſionem rectam ad decimam, quæ inter cæteras videntur certiores. Haly noſter. 1. parte cap. 13. dicit quæſtiones & electiones ſic faciendas, vt à prima domo ad decimam ſignificetur tempus ab oriente ad meridiem; à decima ad ſeptimam, tempus à meridie ad occaſum; à ſeptima ad quartam, tempus ab occaſu ad mediam noctem; & à quarta ad primam, tempus à media nocte, ad ſolis ortum; Ex illis autem quartis, eam eſſe eligendam, quæ ſit fœlicior corpore aut aſpectu fortunarum: ita præcipit temporis conuenientis electionem fieri, procedendo contra ordinem ſignorum. Sic etiam ex Arabum ſententia, trigoni ſignificant partes mundi, prout illæ partes ſe habent contra ſignorum ordinem: Aries, Leo, Sagittarius, Orientem; Taurus; Virgo, Capricornus, Meridiem; Gemini, Libra, Aquarius, Occidentem; Cancer, Scorpius, Piſces, Septentrionem. Vt autem vniuerſo, pars eius præcipua, homo ſcilicet, conſentiat, cum multis authoribus, eius ætatem in quatuor partes diuidimus, procedendo contra ordinem ſignorum; primam à natiuitate ad annum 15. à prima domo ad decimam; ſecundam ab anno 15. ad trigeſimum, à decima ad ſeptimam; tertiam ab anno 30. ad quadrágeſimum quintum, à ſeptima ad quartam; denique ab anno 45. ad ſexageſimum, à quarta ad primam. In mundi quem exponemus, Horoſcopo, cancer retrogradè procedens, videtur innuere hanc contra ſeriem ſignorum progreſſionem; quam etiam ſequuntur ſex domus conuenientes ſex diebus creationis mundi, vt infra docebimus. Ideò etiam rerum initia ſunt difficilia, quia primò decurritur duodecima domus, hoſtium, carcerum, aduerſitatum.

Si dicas abſurdum eſſe judicium ex figura modo æquali conſtituta, eo quod naſcens homo, mollem tunc habeat conſtitutionem, quæ è gradu modo rationali aſcendente, determinatur, formatur, fixatur, ſicut corallum cum è mari, ouum cum è gallina profertur in aërem. Reſpondemus nos conſtituere figuram modo rationali, fatemur attendendas domos ſic erectas, earumque apices, præcipuum tamen judicium in directionibus, profectionibus, reuolutionibus, ſumimus, non à prima domo, ſed à decima, vt à potentiſſima cœli parte, vnde fit perpendicularis & potentior influxus; tum quia hinc fuit exordium, fatumque mundi, vt patebit in 2. huius operis parte; nec igitur ſine cauſa, in ſingulorum genituris, ponitur pro fundamento; multorum etiam patet exemplis, quod ſi duo habuerint

eundem

eundem gradum, aut ſaltem idem ſignum Zodiaci, vel eoſdem planetas, vnus in Horoſcopo, alter in decima, preualebit & dominabitur is qui habuerit in decima. Id probabitur ſi conferas natiuitates Caroli quinti Imperatoris, & Henrici ſecundi Regis Galliæ. Hinc ex Ptolomæo, planeta eſt eleuatus ſuper alium, qui eſt in decimo ſigno ſuper eum. Sedatis igitur, vel intermiſſis objectionibus, LECTOR, placidus obſerua, quam proſequimur, figuræ fabricam, ejuſque vſum facilem, mirabilem.

Secundus orbis exponit Zodiacum. Superior in eo circularis linea notat terminos; ſecunda eſt 360. graduum. 3. eſt numerus graduum per 5. diſtinctorum, cum faciebus. 4. habet characteres ſignorum, & dignitates eſſentiales planetarum in illis. Tertius orbis eſt repetitus idem Zodiacus quo vtemur ad obſeruandos tranſitus planetarum qui habent vim directionis. Quartus orbis eſt menſium anni. Quintus orbis eſt triginta graduum, quorum ſinguli in duo, ſuperiori notulâ diuiſi, faciunt ſimul 60. hic, vt dicemus, vtilis erit ad menſurandos euentus profectionis, & ad horam Rouolutionis inueniendam. Sextus orbis habet 24. horas diei. In eodem orbe notantur duodecim domus ſecundum ordinem ſignorum cum numero annorum, quibus hæ domus per profectionis circulum dominantur. Septimus tandem orbis cum ſuo indice deſignat aſpectus planetarum. Vt hac figura vtaris, cujuſque planetæ character calamo ſcribatur in paruo pergameni fragmento, inſerto tenui filo æneo duplicato, ſic parum biante & forcipato, vt rotæ Zodiaci vi aliqua inſertus, hærere, diuelli tamen & mutari poſſit ad libitum.

VSVS FIGVRÆ.

SIC paratum habenti hoc inſtrumentum, ſi tibi proponatur tempus æſtimatiuum alicuius nati, collige ex Ephemeridibus gradum in quo eo tempore, vel ſaltem illo die fuerit planeta, & hæc deſcribe in charta ante oculos tuos poſita; tum mobiles quos diximus, planetarum characteres in pergameno deſcriptos, appone in duplici rota Zodiaci, vnumquemque planetam in eo gradu quem ſecundum Ephemerides debet tunc obtinere, etiam caput, caudam draconis, & partem fortunæ. Tum ex tabulis domorum tuæ regionis, vide quis gradus Zodiaci dato tempore ſit in decima. Hunc in figura tua etiam pone in decima hoc charactere X. inſigni, & in qua ſcriptus eſt annus ætatis 15. Similiter conſtituatur ſextus orbis, meridies ſcilicet ad decimam, vt ſic appareant anni profectionis in eodem orbe deſcripti. His ita diſpoſitis, quære ab eo cujus figuram erigis, aliquos vitæ ſuæ caſus, vt quando variolâ laborauerit quæ ſemper eſt à corpore, vel aſpectu Martis, vide ſi per directionem ſexagenariam, vel nonagenariam hic aſpectus dicto tempore occurrit, ſi parum diſtet, moue circulum, & fac dictum Martis gradum reſpondentem dato tempori, tum vide quis jam gradus obtineat decimam, & per tabulas inuenies verum locum cæterarum domorum, datâ decimâ in tali gradu. Sic verificatur verum tempus natiuitatis per alios effectus planetarum; vt fœlicitatis à Ioue, amorum à venere, ſcientiarum à Mercurio, peregrinationum ab eo, & Luna; vulnerum & acutorum morborum à Marte; Rerum triſtium, melancholiæ, quartanæ, à Saturno, Dato gradu, qui decimam obtinet; facile inuenitur hora & minutum natiuitatis. Tunc erigenda eſt figura more ſolito, & per tabulas proportionales quilibet planeta conſtituendus eſt in proprio ſuo gradu & minuto; nec enim ante verificationem figuræ, calculus habendus eſt, ne ſit irritus, decimâ, & horâ mutata; ſufficit prius experimenti cauſa eos aſſumere prout notantur in meridie, aut circiter in Ephemeridib. Lunâ exceptâ, quæ

propter velocitatem, ſecundum æſtimatiuum tempus facta ſupputatione in proprio gradu conſtitnenda eſt.

Nota magnas in vita mutationes fieri cum per ſexagenariam, aut nonagenariam fit tranſitus de ſigno in ſignum, & eo qnidem fiunt majores, quo ſigna minus fuerint inter ſe ſympathica, imo duabus qualitatibus inter ſe contraria; varij etiam euentus procedunt à directione, profectione, reuolutione, de quibus infra.

DE DIRECTIONE.

APPONE, vt diximus, notulam & indicem in ſecnndi Zodiaci gradu, qui eſt tuæ figuræ Horoſcopus æqualis, habita ratione decimæ: hunc indicem moue contra ordinem ſignorum, varia operatione ſcilicet & per ſexagenariam & per nonagenariam; quando tranſit per corpus aut aſpectum planetæ, eſt hæc directio Horoſcopi ad talem planetam, aut aſpectum. Tunc etiam obſerua quid tranſeat per primam & decimam cæterarum etiam domorum, planetarum, aſpectuum per ſe tranſitum, tot enim ſunt directiones vnde fieri debet judicium, ex antiquorum aphoriſmis. Maximè ſunt efficaces quæ proueniunt ex proceſſu nonagenario, cum ſcilicet index ſingulis annis contra ordinem ſignorum vnum gradum abſoluit. Idem fit in ſexagenario, numerando ſex gradus pro anno, itaut quilibet gradus valeat duos menſes.

Cum hæc exponerem peritis Aſtrologis, viderentque in propoſito ab ipſis themate ſic expenſo, facillimè, & efficaciùs notatos effectus, quos diuturno directionum ſuarum calculo vix potuerant extorquere. Negare non potuerunt hujus methodi veritatem, oculis ſuis expoſitam, & paratam, quot voluiſſent experimentis, probari; ſed mirati ſunt qua ratione fieri poſſit, vt hæc methodus conſentiat cum ea, qua vtuntur, tam varia & diſſona, vt idem effectus à duabus eodem tempore ſignificetur. Huius conuenientiæ hanc ego puto rationem; quod figuram erigunt modo inæquali, & vt hanc inæqualitatem, ad æqualitatem æquinoctialis reducant, vtuntur pluribus modis inæqualibus, vt circulo poſitionis, aſcenſione obliqua, & cæteris. At ſi figuram erigas, vt diximus, habita ratione decimæ, interjecti inter planetas aut domos gradus annos per nonagenariam ſignificabunt, maximè ſi vtaris aſcenſione recta, vt ſaluetur obliquitas Zodiaci. Quid in hac methodo addant aut minuant latitudines planetarum, nondum ſatis obſeruaui, id docebit experientia.

DE PROFECTIONE.

EFFECTVS directionum multum juuantur à profectionibus: & ipſæ profectiones, ſuum ſemper habent effectum, licet non ita validum & durantem ac directionis, niſi juuetur à tranſitu planetarum qui colligendus eſt ex Ephemeridibus. Nam ſi conſentiat, & v.g. eadem die qua occurrit per profectionem quadratus Lunæ & Saturni, in Ephemeridibus Luna ſit in quadrato aut oppoſitione Saturni, effectus fit longè grauior & ad mortem. Vt autem habeas profectiones, conſtitue decimam & meridiem ſexti orbis è regione decimæ ſupremi in quo eſt annus 1. & ſimul gradum Zodiaci qui in data figura debet obtinere decimam; Ita videbis qui gradus Zodiaci, qui in illis planetæ, aſpectus, ſtellæ, eo anno per profectionem occurent.

Nota, quod ab alijs non eſt obſeruatum, profectionis initium debere ſumi, non à gradu Horoſcopi rationalis, ſed æqualis habita ratione decimæ,

vt ſi decima ſit inuenta per tabulas in 15. virginis, profectionis primus annus, primaque domus incipiet à gradu 15. Sagittarij. Sicut enim mundus incepit à domo decima, vt dicemus in fato vniuerſi, ſic eadem domus ſit regula cæterarum, & totius Aſtronomici judicij.


Vt autem ſcias quo menſe & die continget effectus planetæ, aut eius aſpectus qui eſt intra 30. gradus annum profectionis conſtituentes; Vtere orbe quinto, fac vt eius index, reſpondeat diei natiuitatis deſcripti in 4. orbe, in quo ſunt menſes. Numera gradus ab eo in quo incipit profectio, vſque ad eum in quo eſt dictus planeta aut aſpectus, & totidem gradus numera in orbe quinto, vbi deſinet numerus notabit in orbe menſium, diem effectus quæſiti. Verbi gratia ſi natiuitatis dies, & profectionis initium ſit 23. Octobris, & in 8. gradu ſignorum. Anno 59. decurro vndecimam in qua eſt Leo; ab octauo Leonis vſque ad 24. in quo eſt cor Leonis ſunt 16. gradus: Indicem orbis quinti conſtituo in 23. Octobris, in eodem orbe quinto numero 16. gradus qui deſinunt in 2. diem Martij. In figura particulari ſingulis annis ſuperſcribi poterunt planetæ fridarij, itaut in diurna genitura Sol ſit primus, deinde cæteri ordine quem habent in figura. At in nocturna genitura Luna erit prima.

DE REVOLVTIONE.

IN judicijs Aſtrologicis multum reuolutiones conferunt, licet earum effectus ſint minus durabiles quia vnus gradus in illis, ſignificat tantum vnum diem. Vt autem hoc inſtrumento erigas figuram reuolutionis. Obſerua gradum & minutum Solis in radice; tum vide in Ephemeridibus, quantum Sol præcedenti die diſtet à dicto gradu & minuto, & quia Sol quotidie vnum gradum circiter, ideſt ſexaginta minuta conficit; Indicem quinti tui orbis diuiſi in 60. dirige ad decimam ſupremi orbis, & ſimul meridiem horarum diei; ſi ad prædictum radicis minutum addi debeant v. g. 15. minuta, numera ea in 5. orbe à meridie verſus Occidentem, deſinet numerus hora 6. poſt meridiem, in qua erigenda erit figura reuolutionis. Aut ſi non attendatur dies præcedens, ſed in eodem natiuitatis die Ephemerides notent ſolem excedentem radicem v. g. decem minutis, ſi hæc numerentur à meridie ad orientem in orbe 5. figura erit erigenda hora 8. matutina. Horâ ſic inuentâ, erigatur figura more ſolito. Cum autem ſingulis annis fieri debeant reuolutiones, & longum eſſet dies menſis ſemper calamo delineare, habe paratam figuram menſium in pergameno deſcriptam; quam autem erexeris ſingulis annis reuolutionem, huic ſuppones in papyro ſcriptam, cum planetis, eorumque aſpectibus. Horoſcopum autem eius æqualem habita ratione decimæ applicabis ad diem natalis tui, figuramque ſuppoſito glutine fixam efficies. Si numerentur inde dies contra ordinem ſignorum, non te fallet euentus. In hac quam expoſuimus vniuerſali & probatica figura videntur planetæ, ſed non eorum aſpectus, niſi hac in arte veterano; Non ſtant etiam, in figura mobili, & quæ ad omnium probationem debet eſſe libera. Ideò ſic tentata prius Horoſcopi veritate; fixa & permanens figura conſtituenda, modo quem hic oſtendimus.

FIGVRA AD ERECTIONEM
CVIVSCVMQVE PARTICVLARIS
THEMATIS PARATA.

Fig. 2



EXPOSITIO FIGVRÆ PARTICVLARIS.


HÆC figura particularis duobus conſtat orbibus, Primus plures habet lineas circulares. In 1. ſcribentur anni mundi currentes, & infra in eadem, anni ætatis. In 2. linea, domus inæquales modo ab omnibus recepto. In 3. directio nonagenaria, à prima domo æquali ad decimam, & à decima ad ſeptimam. In 4. termini planetarum ſecundùm Ægyptios, veriores & plurium conſenſu receptos. In 5. ſunt gradus Zodiaci cum faciebus ſeu decanatibus, denique ſtellæ fixæ præcipuæ aſtericis tantum notatæ; ne ſcriptæ confuſionem inducerent, deſcriptas autem habes cum ſua longitudine & latitudine in figuræ medio. In vacuo quod ſupereſt ſpatio, ſcribendi erunt planetæ, & eorum omnes aſpectus, vt patebit exemplo proximo.

Secundus orbis eſt duplicatus Zodiacus, cum ſpatio in quo ſimiliter planetæ eorumque aſpectus deſcribentur, & ab vltima hac circulari linea, vſque ad aliam viciniorem centro, deſcripti ſunt anni profectionis; Climaterici ducta lineola notantur, ſeptenarij ſuperiore, Nouennarij inferiore & ſuppoſita. In hoc orbe, gradus æqualis Horoſcopi notandus eſt indice vt poſſit circumduci ſecundum quas expoſuimus directiones, nonagenariam & ſexagenariam.

Hujus figuræ plura debes habere exemplaria typis mandata, vt ea poſſis vti cum thema aliquod natiuitatis erit erigendum. Inuentâ, vt diximus decimâ, cæteræ domus inæquales ſecundum tabulas ſcribentur in 4. circulo. A decima ſinguli ſex gradus valentes vnum annum per ſexagenariam punctulis notabuntur, vt conſtet de gradu in quo incipit annus; Tum in vtroque Zodiaco ſcribentur planetæ eorumque aſpectus; ſic totius vitæ fatum habes oculis expoſitum, multo clarius, quam in ſpeculo Aſtrologico; Ita licet partes ad ſe mutuo, & ad totum conferendo, integrum cœli ſtatum, vno velut aſpectu contueri, & multa conijcere, quæ aliàs in ſingularibus occupata mens non cerneret. Hæc patebunt in ſequenti exemplo.

FIGVRA HENRICI IV. GALLIARVM REGIS.

Fig. 3.



EXPOSITIO FIGVRÆ.

EXEMPLI gratia hic apponimus figuram natiuitatis Henrici præſtantiſſimi Galliarum Regis: Planetarum ſtatum ſumpſimus ex Camerario & Iunctino, horam tamen mutauimus, quia ſic debere fieri docent nos præcipui vitæ ſuæ caſus. Solent enim horæ falsò aſſignari, ſeu horologij defectu, obſeruantium & referentium hallucinatione, adulantium Aſtrologum dolo, ſæpius etiam ex induſtria celantur Principum veræ natiuitates, & in publicum fictitiæ producuntur, ne præuiſa calamitas, hoſtium audaciam exacuat, populique tumultus concitet. Igitur ſuppoſito quod Henricus IV. natus ſit, anno 1553. die 13. Decemb. pol. 43. hora circiter 9. & ſemi poſt meridiem. Hoc poteſt fieri generale judicium, quod rebus venereis deditus fuerit, non ſemper legitimis, propter venerem in domo Martis exiſtentem. Illuſtrem bellatorem ſignificat Mars in exaltatione ſua. Luna in ſigno mobili in nona, & in eius oppoſitione genius notant inconſtantiam in religione. Duo luminaria in ſignis violentis, & Luna, luminare temporis, cum ſtella violenta; caput meduſæ in decima ſine fortunæ aſpectu; Mars partim Dominus octauæ in ſigno violento; Saturnus ex ſeptima, feriens oppoſitione ſua primam vitæ domum, mortem violentam minabantur. Hæc & ſimilia proſequi, omnium Aſtrologorum eſt, ſingularia tantum hic expendimus ad methodi noſtræ intelligentiam.

Anno æt. 5. & ſemi debuit laboraſſe variola, propter oppoſitionem Martis.

Anno 1564. ætat. 11. conſpiratio Hiſpanica in eum à quadrato Saturni.

Anno 1568. ætat. 15. fit dux generalis hæreticorum à trino Martis in decima; & per nonagenariam à prima ad decimam occurrit ſextilis Iouis; à decima ad ſeptimam, trinus Solis. Tamen paulo poſt magnas patitur clades, quia planetæ omnes tranſeunt per ſuos quadratos ſi ſequaris ſexagenariam.

Anno 1572. tranſitus in ſignum igneum Horoſcopo ſympathicum meliorem promittit fortunam. Menſe Iunio ætatis an. 18. & ſemi fit Rex Nauarræ à trino Solis, & dum attigit 26. gradum arietis, trinum Horoſcopi.

Anno 1573. currente anno ætatis 20. ſolemnes nuptiæ cum Margareta cum per ſexagenariam Horoſcopus peruenit ad corpus Lune in decanatu Veneris. Hæc tamen Luna mutabilis & in ſigno mobili, cum humero Orionis, ſtella violenta de natura Martis, in nona, domo Religionis, ſignificauit vim ſibi illatã die S. Bartholom. ita ut coactus fuerit mutare religionẽ.

Anno 1576. ætatis 23. abjurat fidem Catholicam in oppoſitione Iouis, & quadrato Mercurij.

Anno 1584. res non fœliciter ſuccedunt, quia planetæ omnes tranſeunt per ſuas oppoſitiones. Hinc anno 1585. ætatis 31. & ſemi, fuit excommunicatus in quadrato Martis Domini nonæ, per nonagenariam; & per profectionem, in oppoſitione Iouis & quadrato Mercurij.

Anno 1588. ætatis 35. fœlicitas in bellis. Horoſcopus peruenit ad corpus Martis in exaltatione & facie ſua. Et ætatis ſuæ an. 36. in ejuſdem Martis orbe, fit Rex Galliæ; ſi ſequaris nonagenariam, corpus Iouis peruenit ad Huroſcopum; ſed oppoſitio Solis accedens ad decimam, ſignificat paulo poſt, magnas oppoſitiones, etiam illuſtri titulo.

Anno 1591. ætat. 38. excommunicatur, Ioue quadrato ſuo feriente Solem & Mercurium.

Anno eodem in corpore Solis, & in tranſitu à ſigno terreo in igneum, Horoſcopo ſympathicum, res illi fœliciter cedunt.

Anno 1592. ætat. 39. obtinet inſignem victoriam in Normania in 26. Sagittarij trino Horoſcopi. Occurrit etiam canis major per nonagenariam. Eodem anno dum per ſexagenariam decurrit domum Iouis, in trino Lunæ quæ eſt in nona, iterum conuertitur ad fidem. Paulò poſt anno ſcilicet ætat. 40. omnes planetæ tranſeunt per ſuos trinos, ſic fœlicitatem promittunt, & ſacratur Rex tunc Horoſcopus peruenit ad partem fortunæ, & Mars potens tranſit per decimam, nam bellica potiſſimum fortitudine regnum obtinuit.

Anno 1594. menſe Decemb. ætat. 41. vulneratus fuit in facie, tunc per ſexagenariam Horoſcopus peruenit ad quadratum Saturni, cum capite Herculis ſtella violenta de natura Mercurij & Martis quæ ſignificabat ſcholaſticum armatum; Saturnus etiam tranſit per oppoſitionem Mercurij, & per profectionem occurit corpus Martis.

Anno 1600. ætatis 47. in termino veneris & lucida coronæ, de natura Veneris & Mercurij, contrahit fœlices & prole fœcundas nuptias cum Maria Medicea, tunc Iupiter tranſit per partem fortunæ in apice quintæ domus liberorum modo æquali.

Anno 1606. Iunij currente ann. æt. 53. magnum periculum in aquis, equis ſui currus ſe præcipites in flumen agentibus, tunc per ſexagenariam Saturnus peruenit ad corpus Lunæ; & per nonagenariam, Saturnus in Piſcibus ſigno aqueo, tranſibat per corpus Martis in Capricorno, cuius partes extremæ deſinunt in Piſcem, quaſi natantes equos exprimeret. Saluatur tamen Rex cum Regina, quia per ſexagenariam, Horoſcopus peruenit ad corpus Iouis.

Anno 1610. Maij. ætat. 56. & ſemi proditiosè occiditur, in oppoſitione Saturni, qui ex occaſu ferit primam domum vitæ: oppoſitio Saturni tranſibat per Iouem; quadratus Saturni per Mercurium, per nonagenariam occurrit humerus Orionis de natura Martjs & Mercurij, quæ ſcribam parricidam ſignificabat. Verum eſt quod id accidit poſt duos gradus, ideſt quatuor menſes ab oppoſitione Saturni per ſexagenariam, ſed ita factum licet conijcere, quia pendebat infœlix euentus, bonis radiationibus, illum, cum præcisè occurrit, impedientibus, & velut in contrarium nitentibus, tunc enim Venus tranſibat per partem fortunæ; ſextilis Solis per Venerem; Iupiter per genium. Per profectionem occurrebat trinus Solis & Mercurij. Hæc continuerunt malum influxum Saturni, donec ejus malitia completa eſt, dum Sol die 14. Maij peruenit motu ſuo naturali ad caput meduſæ de natura Saturni in decima. Dies igitur hujus infortunij potuiſſet facilè præuideri, ſi nota fuiſſet hæc methodus. Tunc erat magna ſolemnitas coronationis Reginæ, Luna tranſeunte per decimam & Ioue per Lunam; ſed tranſitus Solis per caput meduſæ in domo Veneris, gaudia conuertit in luctum.

Plura poſſent dici, ſi factæ fuiſſent reuolutiones annuæ, & obſeruati tranſitus naturales planetarum. Hæc tamen, LECTOR, ſufficiant, vt hinc diſcas qua ratione vtendum ſit figura ſupra poſita, ad erectionem thematum præparata; quomodo ducendæ ſint lineæ, conſtituendi planetarum aſpectus, profectiones ordinandæ, planetarum per ſe tranſitus, hoc eſt directiones per ſexagenariam, & nonagenariam obſeruari debeant, & cætera quæ ad hujus methodi pertinent intelligentiam.

Finis Methodi.

F A T V M
V N I V E R S I
OBSERVATVM
Á
FRANCISCO ALLÆIO
A R A B E C H R I S T I A N O.

ANNO M. DC. LIIII.

Google

FATVM VNIVERSI.

AD LECTOREM.


VIDEO, Lector, mouet animos huic opuſculo præfixus titulus, & velut nimis audax ſit illud propoſitum, Chriſtianæque pietatis limites excedat, quoſdam indignantes, inuiſos, armatos zelo, omnes pœnè iratos & contumelioſos, primo ſui occurſu patietur. Sed quieſcant animi, res ſeriò non agitur, ludus eſt, & mundus diſputationi noſtræ traditus, vt ait ſapiens, etiam cedet in concertationem, quæ non torqueat, ſed delectet. Abſit, vt hic aliquid velim aſtruere, quod detrahat ſacris fidei præceptis; his omnibus affectu ſincero, in ſpiritu & veritate, procul à ſuperſtitione & fuco, volens aſſentior; Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ Eccleſiæ, cui nomen ſciens volenſque dedi, obſequium velut parenti præſtabo, illi dicta, facta, ſcriptaque mea ſubmitto: Sed optima Mater filios nondum ætatis perfectæ, non ſic durè continet, vt non aliquando, ſepoſita ſua Majeſtate, ludicra quædam indulgeat, in ſolatium vitæ, tot ærumnis, maximè ſpiritualibus confectæ. Credunt Theologi quæ de Deo credenda ſunt, tamen de ejus eſſentia, perfectionibus, inſtitutis, innumeras animi gratia & ad ſatietatem vſque mouent quæſtiones; in arenam ſcholæ deſcendunt, vbi ſe diuturno ſtudio, meditatis pertinacibuſque conficiunt argutijs, etiam plaudentibus, velut ſibi decertaretur, hoſtibus; quid ni liceat, & hic ludere in cauſa, vt purè naturali, ſic minus arcanis Religionis noſtræ myſterijs periculoſa? Tantum abeſt, vt velimus hic obeſſe fidei, quinimò non abſtracta tantum, vt fieri ſolet, ratione, ſed certis experimentis comprobare nitimur, primum illud ejus axioma, mundum non eſſe ab æterno, ſed à Deo cum tempore creatum. Tunc partes ejus, ideſt cœlos, elementa, rerum omnium ſpecies è nihilo eductas ordine ſuo conſtituit ſummus artifex; & diſtinctis tum eſſentijs, viribus, actionibus, fœderibus, ſympathiæ & antipathiæ, leges dixit in perpetuum valituras. In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo, inquit Propheta: In generationem & generationem veritas tua, fundaſti terram & permanet; Iuſtitia tua, Iuſtitia in æternum, & lex tua veritas: In æternum omnia Iudicia Iuſtitiæ tuæ. Pſal. 118. Cùm certa, determinata, & ex Iuſtitiæ, artiſque diuinæ regulis, ad bonum & pulchritudinem vniuerſi, concinnata tunc fuerit cœli diſpoſitio, qualis fuerit, hic inquirimus. Nec immeritò, nam ſic operationis diuinæ dilucidior, minuſque confuſa habebitur cognitio, quæ mentem detinebit in majori admiratione & laude Dei conditoris. Eſſentialis ejus ratio, ſic contemperauit cœlum, ſupremum corpus, cæteris dominaturum, vt ab eo excluſerit caſum omnem, & ob id exquiſita diuinæ rationis hoc in opere explicatio, fit proprium humanæ rationis, & contemplationis objectum, ſapientemque ſurſum euocat, velut Moyſem in montem, vt illic videat boni & agendorum idæam. Si fatentur omnes, multas vitæ noſtræ decurrentis conditiones, pendere ab ea quæ fuit nobis naſcentibus, cœli conſtitutione, rerum maximè vniuerſalium exiſtentiæ, vires, ſympathiæ, viciſſitudines, pendebunt à fato mundi, quem magnum animal intellectuale, vt hominem paruum mundum, vocauit antiquitas. Singulis in eo, &

ex eo naſcentibus parentis loco eſt, è cuius genitura plurimum accipiunt liberi; ita fit vt hujus mundani fati cognitio, ſit velut generale quoddam principium ſupponendum, & cujus ignorantia ſit infinitæ cujuſdam aberrationis occaſio. Quid jactamus nos in hoc orbis medio, velut in amphitheatro poſitos operum Dei ſpectatores, ſi rerum tantum ſingularium, non totius formam, contemplamur: Non eſt perfectus ordo, non vera pulchritudo, niſi totius: Ridiculus foret qui pictam tabellam ex ejus vna parte, fortaſſis adumbrata, ex perſpectiuæ regulis contracta, aut dilatata, non ex omnium ſymetria, æſtimaret. Differant Phyſici de corporis motu, de elementis, mixtis, plantis, mineralibus, animalibus; tradant medici generalia ſua ſanitatis tuendæ, & reſtituendæ præcepta: Iuriſperiti ſuas de juſto & injuſto leges: Politici recenſeant populorum mores, legum varietates, tot ante actorum ſæculorum hiſtorias, vt præſentibus & futuris conſulant; diſtinguant Aſtrologi motus & influxus cælorum; Hi omnes dum videntur vniuerſalia tractare, hærent tamen ſingularibus; in anguſto laborant, & vt plurimum cæcutiunt, velut ignoratis rerum principijs, ſi ſtatum vniuerſi non intelligant. Certè hac in vita nihil mihi videtur ſublimius poſt Deum, quàm ejus expreſſam imaginem in vniuerſo contemplari; quam admitti in arcana ſummæ ſuæ ſapientiæ, & prouidentiæ decreta, dum mundum conderet; legem ſyderibus diceret, quibus decurrere, variari, iterumque reſtitui deberent ſæcula. Quid mirabilius, quam ea videre, quibus mundus concutitur, quæ caſibus humana tribuit ignorantia; quæ prodigijs adſcribit ſuperſtitio, certis tamen de cauſis, ordine certo, & velut ab ipſius mundi primordijs impreſſo motu, decurrere? Quid ſublimius homine qui ſedet judex Regnorum, ſęculorum, ipſorummet ſyderum quia pręſcripto ſibi ſemper gradu procedunt; qui velut eſſet ipſi mundo coæuus, omniaque expertus ſęcula, ex pręteritis futura, ex cauſarum, velut ex tempeſtatum anni, ſerie, magnas orbis mutationes auguratur, vtque reſpectu Dei, ſic ſapientis amici ſui, nihil ſit fortuitum. O quam excelſa mens? quis neget eam ſupra materiam, ſupra tempus, eſſentiæ ſuæ ſpiritualis & immortalis dignitate conſiſtere, quę ſic ratione mundum & tempus omne ſupergreditur. Pudebit ipſam rerum cœleſtium & ſublunarium arbitram, eoſdem pati, quos in illis judicat motus: quo ad corpus cui juncta eſt, leue videbitur, particulam hanc, totius orbis ſortem ſequi, cum illo concuti, diſſolui, cum vniuerſo rapi. Sed hęc alias: Nunc video, vrget te, LECTOR, ſponſionis meę impatientia, meque prouncas ad exhibendum quod promiſi, fati vniuerſalis ſpectaculum. Id exequor diſtincto hoc opuſculo in tres partes. Prima exponet fati vniuerſalis ſic conſtituti rationes. Secunda demonſtrabit magnas in mundo mutationes, ſecundum naturam ſignorum & ſtellarum tunc dominantium. Tertia regnorum aliquorum fatum ſingulare referet, cum methodo cętera ſimiliter expendendi. Memor ſis ſemper, me non decernere, nec neceſſitatem humanæ libertati, talibus impoſitam credere. Sed congruentias tantum quaſdam animi gratia, profero. Si placet ludus, plaude, fruere; ſin minus, diſcede, etiam improba, liberum eſt: Dum tamen facilè non accedas turbæ blaſphemantium id omne quod ignorant, & ſeu vanitate, ſeu ſuperſtitione laborantium.

FIGVRA

FIGVRA VNIVERSI,
VERAQVE COELI DISPOSITIO;
CVM MVNDVS A DEO CREATVS EST.

Fig. 4.



PARS PRIMA.

DE TEMPORE ET HORA CREATIONIS MVNDI.

Marſil. Ficinus Theolog. Platoni. lib. 18. c. 1. & de vita cælitus comparanda c. 19.

AVTHORES omnes, Arabes, Græci, Chriſtiani, in eo conueniunt, vt dicant, initio mundi, ſolem fuiſſe in primo gradu arietis; & hinc arietem habitum vt primum ſignum, à dignitate Solis, qui cætera ordine decurſurus, primum illud pręſentia ſua decorauit. Vnde factum eſt, vt quemadmodum Aſtrologi, in ſingulorum hominum vitæ caſibus conijciendis, erigunt ſingulis annis figuram reuolutionis, ab eo gradu & minuto in quo erat Sol in geneſi, & radice; ſic ſingulis annis figuram erigunt ab ingreſſu Solis, in primum punctum arietis, vt inde ferant judicium de toto hoc anno; ſic nati quondam mundi, iteratum, publicumque, alijs quam fidei regulis, nobis exhibent teſtimonium. Et ſanè conuenientiſſimum videtur, vt Deus qui ordine mirabili cuncta diſponebat, prius voluerit res à ſe creatas adoleſcere, tum adepto conuenienti ſtatu, ſimile ſibi generare, quam à ſenectute vitam auſpicari; plantaſque exhauſta ſtatim in ſeminum formatione ſubſtantia, marceſcere, ſiccaſque ac flaccidas, dum oriuntur, langueſcere. Congruit illud pręceptum, Creſcite & multiplicamini; huic nunc parent nata omnia, dum ſibi prius laborant, quam proli, & non niſi quęſita ſibi perfectione, generant. Conuenientiſſimum etiam videtur, vt mundus qui à munditia & ornatu dicitur, non caruerit hoc illibato decore, quo fulgent, quo geſtiunt recens nata, & ea pulchritudine, quæ eſſet flos ſequuturi boni.

Sic Exod. c. vltimo, Deus præcipit Moyſi, erigat prima die, primi menſis, tabernaculum, quod totius mundi figuram referebat, eo ſcilicet tempore, quo mundus eſt creatus; cujus rei fidem facit tunc arborum germinatio, & totius naturę, ſingulis annis facies quędam rediuiua: Incipiente enim vere prata florent, ſegetes fluctuant, arbores fructum emittunt, ad generationem proritante venere feruntur animalia. Sub idem tempus Deus liberauit populum Iſraël à ſeruitute Ægyptiorum; & Gabriel Angelus ſanctæ Virgini Mariæ, lętum nuntium admirandi partus attulit, & Chriſtus Dominus, ſalutarem pertulit paſſionem vt notat doctiſſimè Theodoretus in Exod. quæſt. vlt. Eo tempore fit mundi renouatio, tum naturalis, tum ſpiritualis, quo creatus, & poſtea per peccatum vitiatus fuit, ſicut olim, in ſacris fuit cæremonijs, templa mundare & reſtaurare, ſecundum tempus quo fuerant à gentibus prophanata. Vt habetur 1. Macab. 4.

Hæc fuit gentium omnium fides, maximè Romanorum, qui ſub eodem ſydere nati quo mundus ipſe, menſe Martio in aris veſtalibus nouum ignem accendebant; laureas virides, tam in Conſularibus faſcibus, quam ædibus Regis, ſacrorum, flaminum, veſtalium, atque Curiæ, veteribus mutabant; mercedem magiſtris ſoluebant, vectigalia locabant, matronæ munera mittebant, ſeruis cœnas apponebant; denique renouabant omnia, eo tempore quo cœpit mundus, vt refert Alexander ab Alexandro genial. dier. lib. 3. cap. 24. Probabilius eſt igitur mundum creatum eſſe vere, quam autumno, quod etiam fusè comprobat Cœl. Rhodigin. lection. antiq. lib. 1.

c. 9. Arbores autem quæ deſcribuntur in paradiſo terreſtri, ex his poterant eſſe, quæ toto anni tempore, flores & fructus ſimul ferunt.

Nunc inquirenda eſt hora, vnde pendet certa cœli conſtitutio. Mundum creatum Sole in meridie, & in decima domo exiſtente, conijcere poſſumus, ex his geneſis verbis, factum eſt veſpere & mane dies primus; prius enim dicitur factum veſpere, quam mane. Congruit illud Pſal. 18. vbi Propheta loquens de verbo diuino, à diuinitatis ſuæ apice, ad humanæ vitæ occaſum venturo, ſub figura Solis, à ſummo, inquit, cœlo egreſſio eius. Ad illam Dei vocem, *fiat lux*, facta eſt lux; nihil adijcitur quo intelligamus diminutam, obſcuram, & in aurorá creſcentem, ſed facta fuit lux tota vt eſſe poteſt perfecta. Nec enim qualitas quæ momento diffunditur, affinis naturæ ſpiritualis, debuerat ad legem merè corporalium creſcere & multiplicari. Hęc autem lux vices agebat Solis, illique à Deo quarta creationis die inditam aſſerunt Doctores, debuit igitur ipſe Sol ſtatim pleno lumine, ſcilicet in meridie mundo illuceſcere. Erat lux iſta ſenſibilis, imago æternæ lucis, id eſt Verbi diuini, tunc mentes Angelicas congruis rerum omnium ſpeciebus momento illoſtrantis. Denique mundum in meridie creatum probat antiquus Aſtrologorum vſus, qui diem incipiunt à meridie, & Indorum antiqua conſuetudo, qui Soli tantum in meridie ſacra faciebant. Si mondus ex Platonicorum opinione, magnus eſt homo, ad inſtar hominis microcoſmi capite ſurſum elato, medium cœli habet pro capite; ita debuit à meridie, vt homines à capite naſci, illumque naſcendi modum, exemplo ſuo nobis vitalem efficere. Hinc ab antiquis obſeruatum eſt, arietem dominari capiti, taurum collo, geminos brachijs, & eodem ordine ſigna ſequentia cæteris corporis partibus. De mundo creato ſole in ariete & in medio cœli exiſtente, ſic loquitur Cœlius Rhodigin. loco citato. Initio, inquit, mondi Sol conſtitutus fuit à Deo in ariete exaltatione ſua, & in medio cœli, hic enim locus, quidam mundi vertex intelligitur, aſſeruntque in genituris omnibus, cælum medium, principem habere locum; nam & ex hoc totius genituræ fundamenta colligunt: hinc Manlius lib. 1. c. 3. vt ſit idem mundi, primum quod continet arcem. Et Plinius lib. 10. nat. hiſto. cap. 2. Cum phœnicio, inquit, alitis vita conuerſionem magni anni fieri tradit Manlius, iterumque ſignificationes tempeſtatum & ſyderum eaſdem reuerti. Hoc circa meridiem incipere quo die ſignum arietis Sol intrauit.

CVR SIC PLANETÆ IN FIGVRA vniuerſi conſtituantur.

SVMMA bonitas vidit quæ fecerat, & erant valdè bona, ideſt in ſtatu perfecto ſibi & mundo conuenienti: Vegetantia & animalia, pulchra, valida vt poſſent ſibi ſimile generare; ſicut autem Sol erat in meridie, & in plenitudine ſuæ lucis, in primo gradu arietis, exaltatione, trigono, potens. Ita congruum videtur cęteros planetas in conuenientibus ſignis, quæ domos appellant, conſtitui; & quidem diurnis, in diurna genitura. Vt Saturnus ſit in Aquario, Iupiter in Piſcibus, Mars in Ariete, Venus in Tauro, & quia Mercurius non poteſt diſtare à Sole pluſquam 23. gradibus, illum ſupponimus initio mundi, Soli junctum, in ejus corde, & vt loquuntur Cazimi; vnde vis illi quædam Solaris, vniuerſalis, viuifica, cum aliorum, maximè Solis, naturam induat; ibique habeat, vt in propria domo, quinque gradus dignitatis. Et ſanè ſi Mercurius præſidet rationi, conueniens erat, vt ſedem haberet in Ariete, magni illius intellectualis animalis capite. Hinc vt refert Rodiginus lib. 14. c. 18. Antiqui Palladem dicebant è capite Iouis natam, inter aſtra potiſſimum arieti præſidere, & æquinoctiali circulo vbi vigere putant motricem vniuerſi virtutem. Mars etiam Solis radijs oppreſſus, Solem veneratus, naturalem ſuam malitiam amittit, vt notat Iulius Firmic. lib. 2. c. 8. duo itaque planetæ Mars & Mercurius Soli conjuncti, ejuſque naturam induentes, Solarem quandam effecerunt trinitatem, è decima, cœli throno, toti naturæ præſidentem.

Diu hæſimus in Lunæ poſitione, primò videbatur conſtituenda in Horoſcopo, vt ſcilicet duo luminaria obtinerent præcipuas figuræ domos, primam ſcilicet & decimam, ſicque ſignificarent aut efficerent vitam in calido & humido poſitam; vt etiam Luna, ſicut alij planetæ, eſſet in proprio ſuo domicilio, cancro ſcilicet, & ad inſtar Solis incœpiſſet lucere à meridie, nimirum Sole Occidente. Conuenientius tamen viſum eſt, Lunam fuiſſe in oppoſitione Solis, tunc enim perfectior eſt ejus ſtatus, cum eſt in plenitudine luminis, ſicut fuit Sol in meridie. Tunc plus virium & dignitatis habet, quam à propria domo, cujus etiam vices agit primus gradus libræ ſuus decanatus. Et vt dicit Haly noſter. parte. 1. c. 4. Sufficit quod fuerit domina Horoſcopi mundi, ſi enim fuiſſet corpore in prima, nimium auxiſſet humiditates quæ veniebant exſiccandæ, at lumine plena ſit calidior. Conueniens etiam videtur vt quæ inſtituta fuerat ad præſidendum nocti, tota nocte, ideſt ab Horoſcopo luceret, ſurgens nimirum Sole Occidente. Sic D. Thom. 1. q. 70. a. 2. ad 5. Luna, inquit, quando eſt perfecta, oritur veſpere, & occidit mane, & ita præeſt nocti, & ſatis probabile eſt, quod Luna facta fuerit plena, ſicut & herbæ factæ ſunt in ſua perfectione, facientes ſemen; ſimiliter animantia & homo; licet enim naturali proceſſu ab imperfecto ad perfectum deueniatur, ſimpliciter tamen, perfectum prius eſt imperfecto. Hæc D. Thomas, & Rupert in Geneſim lib. 1. c. 20. Eſt inquit Doctorum ſententia, quod Lunam creans Deus, ſtatim plenam oſtenderit Soli opponens dimidia parte cœli, ſicut formans mulierem ad conſpectum Adami adduxit. Adde quod aliud Hemiſpherium non debebat carere lumine, dum luminaria fuerunt ſimul creata, vnum vt præeſſet diej, aliud vt præeſſet nocti. In eoque Hemiſpherio Luna incœpit lucere media nocte plena lumine, vt in noſtro Sol in meridie. Vt Luna obtinet vltimum cœlorum, ſic in figura vniuerſi, imum cœli. Hinc ſignificare dicitur mulierem ſubjectam viro; populum ſubjectum principi, quia dum crearetur poſita fuit in quarta domo, decimæ dominationem ſignificanti ſubjecta. Varietati & incōſtantiæ præſidens, in imum & foueā cœli dejecta, docet nos

nihil

Digitized by Google

nihil hic caſibus licere, frænatam, captiuatam inconſtantiam, omnia certo ordine datiſque à Deo legibus decurrere. Mouit me etiam quod ſcribit Philo lib. 2. de vita Moſis. Moyſem primum anni menſem feciſſe eum, qui in vernum æquinoctium incidit, cujus menſis die decima quarta, ſub ipſum tempus quo Luna ſolet ſuum orbem complere lumine, celebratur Paſcha; Nam Moyſes Chaldaicæ ſcientiæ, id eſt Aſtrologiæ peritiſſimus, velut fœlicibus auſpicijs egreſſus eſt ex ſeruitute Ægyptiaca, eo tempore quo mundus è nihilo eductus eſt. His addit Card. de Cuſa lib. de reformatione Kalendarij ſub finem. Paſchali, inquit, myſterio conuenit tempus vernalis æquinoctij, quia mundi initium in vere fuiſſe probat ſcriptura, quæ germinaſſe dicit terram, herbam virentem, & quia in æquinoctio, contingit diuiſio æqua lucis à tenebris, quæ non eſt æqua, extra æquinoctium. Lunaque debuit eſſe plena, vt luceret in inchoatione noctis. Hinc apud Antiquos, ſolemnia maximè fiebant ſacrificia Luna plena. Et Mirandulus lib. 9. contra Aſtrologos cap. 6. Refert Romam fuiſſe conditam Luna plena in libra exiſtente, non caſu, vt credibile eſt, ſed Aſtrologica electione, vt vrbs toti mundo imperatura, fœlicem, quia ipſi mundo ſimilem, haberet geneſim. Refert etiam Tacitus lib. de Moribus Germanorum, eos conſilia ſua publica, ſeu comitia, celebraſſe Luna plena, quaſi tuno magis auſpicata, cum in eum perfectum deuenit ſtatum, quem cum mundo naſcens habuerat. Hæc breuiter dicta ſint de ſitu planetarum.

DE STELLIS FIXIS.

OCTAVA Sphæra triplicem habet motum; primum, à primo mobili, quo ſingulis diebus ab ortu in occaſum perficit 360. gradus. Secundus motus ei competit à Sphæra nona, quo ab occaſu verſus ortum, ſecundum ſeriem ſignorum, ſuper polis Zodiaci, ita progreditur, vt in 100. annis vnum fere gradum abſoluat. Tertius motus eſt ei proprius, qui motus trepidationis dicitur, ſiue motus acceſſus & receſſus ad polos Eclypticæ, & mouetur vno anno tribus circiter minutis, hinc fit vt ſtellarum fixarum progreſſio ſit inæqualis id eſt alias celerior, alias tardior. Quidam etiam obſeruant hanc Sphæram pati retrogradationem de qua conſule Tyconem, Copernicum, Goglenium Aſtronomiæ cap. 5. & Cardan. de rer. variet. lib. 2. cap. 11. Hæc enim hic enucleare, & computare, non eſt inſtituti noſtri. Sufficit quod in eo conueniunt omnes, ſtellam primam arietis octauæ Sphæræ, quæ nunc obſeruatur circa primum gradum Tauri primi mobilis, fuiſſe initio mundi in primo gradu arietis primi mobilis, & vtrumque Zodiacum æquis partibus ſibi reſpondiſſe, arietem arieti, taurum, tauro. Sic paria paribus cætera ſigna, quæ eandem initio habuiſſe poſitionem teſtantur ijſdem adhuc ſibi ſeruatis nominibus. His ſuppoſitis, ſic erigimus mundi thema, vt ſtellæ fixæ ſint in eodem ſtatu quem habebant initio mundi, ſicut in ſingulorum hominum geneſi toto vitæ tempore ſtellas fixas & errantes conſideramus vt erant in momento natiuitatis. Motus autem quos perficiunt non variant figurã; ſed varia ſignificant pro ratione locorum hylegialium per quæ tranſeunt. Stellas fixas hac in figura vniuerſali rectè à nobis poſitas, probabunt ſecundæ partis euentus. Nam earum vires mundo, & regnis propriæ ſunt, magiſque conuenientes, quia cum ſint tardi motus, tardè mobilem, & diuturnioris exiſtentiæ deſiderant materiam, quæ patienter earum expectet influxus; at ſingulorum hominum vita breuis, & præceps elabitur, ſeque ſubtrahit à fixarum tardigrada virtute, tranſiens ſcilicet in contraria, ſic calorem parum ſentit manus, quæ per radium Solis, aut per flammam celeriter tranſmittitur. Hinc Iunctinus poſt Ptolomæum in Centiloquio num. 29. Rectè notat in ſingulis homi-

nibus, magnam interdum, ſed non durabilem fœlicitatem ſignificari à à ſtellis fixis. Quæ pluribus exemplis confirmata ſupponimus, vt ad propoſitum, & ampliorem ſic conſtituti mundani thematis expoſitionem, reuertamur.

CONVENIENTIA SEX DOMORVM ſupra Horizontem, cum his quæ refert Geneſis de ſex diebus creationis mundi.

QVI viuit in æternum creauit omnia ſimul, vt dicitur Eccleſ. 18. D. etiam Auguſt. de ciuitate Dei. lib. 10. cap. 7. & de Geneſi ad litteram lib. 4. cap. 26. dicit vna die, & vno momento, abſolutam fuiſſe rerum omnium creationem, ab infinitè potente & ſapiente Deo, cui nihil obeſſe poterat quod moras traheret, & in opere velut laborantem detineret. Sed hanc dierum diſtinctionem deſcriptam eſſe, vt exprimerentur variæ rerum creatarum ſpecies, ſic inconfuſæ, ſic ordine ſuo diſpoſitæ, ac ſi ſingulis diſtinctis temporibus & operationibus, totam ſuam induſtriam impendiſſet opifex. Idem ſentit D. Ambroſ. examer. lib. 1. cap. 14. Picus Mirandulanus in hæptaplo, & alij multi, quorum citationes hic breuitatis cauſa omittimus, vt ea quæ refert liber Geneſis de ſex dierum diſtinctione; & diuerſas, quas ſignificant, rerum ſpecies oſtendamus, aptiſſimè conuenire ſex domibus hujus noſtræ figuræ ſupra Horizontem, & planetis in illis exiſtentibus, aut dominantibus.

Prima die, terra deſcribitur aquis, & initio tenebris obſita, quod maximè conuenit primæ domui, cujus prima tantùm pars eminet, cæteris ſub horizonte latentibus, & velut aqua merſis, quia cancer eſt ſignum aqueum, ſub dominio Lunæ aquis præſidentis. Eadem die dictum eſt fiat lux, & facta eſt lux, cum ſcilicet ab initio cancri, fit ſtatim tranſitus contra ordinem ſignorum ad ſignum Geminorum, trigoni aërei ad lucem excipiendam apti, & domum Mercurij, tunc in corde Solis exiſtentis, & ſic illuſtrationis velut authoris, vnde illi videtur poſſe applicari quod dicitur, ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas, illis velut incubans, & è potentia materiæ formas educens in actum, è tenebris ad lucem.

Secunda die, diuiſæ ſunt aquæ ab aquis; & factum eſt firmamentum in medio aquarum diuidens aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. His ſic enarratis conuenire videtur opinio dicentium, ex aquarum, terræ, elementorum confuſa mixtione, & velut chao, tenuiora emerſiſſe per euaporationem, ſic rerum & naturæ primordia deſcribit Triſmegiſtus initio pymandri. Non conſentiunt interpretes in hujus loci Geneſis expoſitione, nam alij dicunt per aquas quæ ſunt ſuper firmamentum intelligi cœlum criſtallinum; alij tantum æther, ſeu ſuperiorem aëris partem, aquæ, velut parentis, nomine deſignatam; medium autem firmamentum eſſe locum aëris in quo ſpiſſantur nubes, ſuis limitibus ita circumſcriptum, vt vices agat valli munitiſſimi, ne iterùm confundantur; ita firmamentum à perennitate durationis dictum. Vel quia locus eſt ſubſtantia prima, aut ſedes, aut capacitas immobilis & incorporea apta ad receptandum omne corpus, ſubeſt enim omnibus tanquam prima ſubſtantia immobilis, inalterabilis & incorruptibilis. Hæc alijs diſcutienda relinquimus, ſufficit ad propoſitum noſtrum conuenienter factam eſſe hanc aquarum & aëris diuiſionem, in ſigno aëreo, communi, geminaſque aquas rectè poſitas in ſigno geminorum bicorporeo, ex duobus, vt fert fabula, fratribus, quorum vnus mortalis, alter immortalis, & quod videtur ſignificare geminam hanc aquarum naturam, quarum ſuperior eſt incor-

ruptibilis, inferior verò corruptibilis. Ineſt tamen inter geminas illas aquas, vt eodem chao parente natas, maximus ſympathiæ nexus, vt inferior à ſuperiore foueatur; Vnde colebant antiqui geminos fratres per duas trabes paralellas, & duabus intermedijs junctas, vt refert Plutarchus lib. de amore fraterno, & hinc Aſtrologi deſignant ſignum geminorum hoc eodem charactere ♊. Congruit etiam diuiſioni, geminorum dominus Mercurius mutabilis, in ſno metallo volatilis, diuiſionem facilè patiens & efficiens vt alchimiſtis notum eſt. Congruit & hæc domus in ordine ſignorum duodecima, ſignificans contrária, quæ licet ſint ſub eodem genere, velut parente, ſe tamen non compatiuntur, ſed fugiunt; & ab inuicem diuiſa, in oppoſitas ſe partes recipiunt.

Tertia die dixit Deus congregentur aquæ quæ ſub cœlos ſunt, in locum vnum; & appareat terra, germinetque herbam virentem facientem fructum, & factum eſt ita. Tertia hæc dies incidit in tertiam ab Horoſcopo domum, contra ſeriem ſignorum, terraque emancipatur ab aquis, & ſui juris efficitur in tauro ſigno terreo, cui preſens eſt Venus, domo & trigono potens, pulchritudinis & fœcunditatis parens.

Quarta die fecit Dens duo luminaria, luminare majus, vt præeſſet diej, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas. Id incidit in quartam ab Horoſcopo domum contra ordinem ſignorum, ſcilicet in decimam in qua eſt Sol, Mars & Mercurius, & prima ſtellarum, cornu arietis. In quarta ſimiliter domo, ſecundum ordinem ſignorum occurrit Luna, tunc lucens alteri Hemiſpherio.

Quinta die, aquæ prodncunt Piſcium omnium ſpecies; & id fit in qninta domo contra ordinem ſignorum, in ſigno Piſcium. Cui præſens Iupiter, quaſi bonum omne juuans Pater, fauet eorum miræ fœcunditati, & quia eſt calidos humidus, aërea complexionis, adſtipulatur auium productioni.

Sexta die, ad vocem Dei, terra prodncit reptilia, jumenta & cætera animalia juxta ſpecies ſuas. Deuſque de limo terræ plaſmat hominem, cui inſpirat ſpiraculum vitæ. Hæc contingunt in 6. ab Horoſcopo domo contra ordinem ſignorum, in aquario, ſigno aëreo; nam animalia quæ degunt in terra potiùs dicenda ſunt aërea, terram enim ſuperficie tantum tenùs contingunt in quiete & motn, vis autem illis tota eſt à ſpiritibus aëreis, & à continua aëris reſpiratione; conuenit igitur illis ſignum aëreum, & quidem humannm in quo homo conditus eſt, & propter quem omnia creata. Deſinit opus ſextæ diej in ſabbatho, & in requie, quæ ſignificatur per Saturnum ſeceſſui, & contemplationi præſidentem, ſed peſſimè habentem eos, qui ad ſublimia vocati, ſe rebns inferioribus implicant, ſenſibuſque non menti vacant, vt optime notat Marſilins Ficinns lib. de vita cœlitùs comparanda. cap. 22. Hæc videntur ſignificare ſortem primi hominis, culpâ ſuâ omnes qui Saturno adſcribuntur labores & ærumnas experti, omniúmque animalium, ſi ſe à diuinis ſubtrahat, miſerrimi. Qnale fatum ſuum; vt cùm cætera animalia creata ſint ſub fœlicibus planetis, & in domibus bonnm aliquod ſignificantibns, geneſis ſna ſit iuxta domum mortis, ſcilicet in fine ſextæ diei iuxta ſaturnnm. Id fortaſſis innit quod dixit Chriſtus, hominem non futurum fœlicem, niſi ſibi, ideſt ſenſibus rebuſque omnibus externis moriatur.

RATIO SIGNIFICATIONIS *duodecim domorum cæli, & ex illis generale de mundo iudicium.*

PARTICVLARES omnes ſcientiæ non probant, ſed ſupponunt ſua principia. Id Aſtrologiæ non indulgetur, ſed ab illa Cenſores exigunt rationem eorum, quæ omnium ſæculorum experimentis comprobata, à ſuis accepit Magiſtris: dubium an injuriâ id fiat? Et an ſcientiam antiquiſſimam, non paribus cum cæteris, ſed iniquis habeant conditionibus? An meritò ab ea, velut à ſapientia, vt aliorum, ſic ſuorum quoque principiorum ratio poſtuletur? Illi potiſſimùm objiciunt quòd cœli ſpatium in duodecim partes diuidendo, ſine vlla ratione dicatur, primam ſignificare vitam, ſecundam bona, tertiam fratres, & alijs ſimiliter domibus aſſignari parum congruas, & ad arbitrium confictas ſignificationes. Sed hanc contumeliam facilè diluet qui attenderit ad eam, quam hîc conſtituimus figuram vniuerſi. Si quæratur cur quædam corpora cum alijs conuenjant aut diſſentiant, recurrimus ad primas qualitates in illis exiſtentes, quibus autor naturæ vim hanc ſympathicam aut contrariam indidit ad bonum vniuerſi: quis enim vlteriùs quæſtionem mouebit, cur ignis ſit calidus, & aqua frigida. Similiter ſi quæratur cur hæc pars cœli, & alia id ſignificet? Reſpondetur domos iſtas ſic ab initio affectas à ſignis & planetis, in illis dùm mundus creatus eſt, exiſtentibus; & à diuina ſapientia ſic ordinatis, vt in poſterùm hæc loca, vim hanc ſibi primitus inditam retinerent, & eadem, deuenientes ad ſe planetas, velut peregrinos, legi municipali jam poſitæ, ſubijcerent. Cæterùm hæc ſunt tot experimentis comprobata, vt ea nunc inficiari, ſummæ videatur malæfidei aut ignorantiæ.

Nota, præcipuæ ſignificationis eſſe domos quæ ſunt ſuper horizontem, quia determinantur à planetis in illis vt plurimùm exiſtentibus, vnde & eorum præcipuè habenda eſt ratio, quæ autem illis opponuntur ſub horizonte, ferè parem licet infirmiorem habent vim. Velut ſi circulum complices per diametrum, oppoſitæ partes coïncident. Sic tota figura compendio continetur in 6. domibus ſupra horizontem; & ſic olim augures lituo in ſex partes diuiſo; augurabantur pro qualitate domus intra quam primùm auis, aut fulgur apparuiſſet. Omnes tamen domus tàm ſupra, quàm infra horizontem, ordine ſuo exequemur.

Prima domus vitam ſignificat, quia prima emergit è tenebris. Rem è cauſis ſuis eductam, in indiuiduali conſtituit exiſtentia; mollem adhuc exponit regnanti tunc cœlorum influxui determinandam, ſuique juris efficit. Cancer in prima exiſtens, ſignificat primam orbis faciem, aquis ſtagnantem. Significat etiam omnium vitam eſſe in humido, vnde Thales dixit aquam eſſe rerum omnium principium; Nam animalium ſemen eſt humidum, plantarum, non niſi in humido coaleſcit. Recens nata aluntur humore, plantæ rore, pluuia, irrigatione; animalia lacte, & Plato dicit excedentem in prima ætate humiditatem obeſſe rationis actibus, ſplendor enim ſiccus, animus ſapientiſſimus. Igitur prima domus dat humidum, vt vitæ materiam, ſicut decima, tribus in ea exiſtentibus calidis planetis, dat calorem, actionum principium, & velut vitæ formam.

Secunda domus vocatur acquiſitionis, nam natura res initio producit

indigas

Digitized by Google

indigas alieni ſubſidij, quod quærunt motu, arte, & infirmioribus illata vi. Ita primæ domui vitam ſignificanti, rectè ſuccedit ea, quæ rerum debilibus initijs, quo ſubſiſtant & augeantur, auxilia conquirit. In ea domo repetitur ſignum Leonis, igneum, quia neceſſarius eſt ad acquiſitionem ardor, & vis valida quæ rei appetitæ reſiſtentiam, & æmulorum eam ſibi vindicare volentium conatus ſuperet, vnde dicit Ariſtoteles acquiſitionem viris eſſe propriam, conſeruationem fœminis. Per Leonem intellige mores hominum, apud quos viuitur ex rapto, feros enim ſolet efficere habendi cupiditas, vnde dictum eſt olim, diuitem eſſe vel injuſtum, vel injuſti hęredem: in publicis priuatiſque rebus, vſus legitimum tandem efficit, quod injuriâ fuerat vſurpatum. Domus hæc, Solis eſt in decima exiſtentis, quia ex acquiſitione ſplendor & dignitas. Incidit in eam trinus Martis, Solis, Mercurij, quia tribus ferè modis res quæruntur, vi, authoritate, induſtriâ: accedit oppoſitio Saturni, eò quod in acquiſitione voluptati ſe miſcet labor & dolor: Neceſſaria eſt etiam aliqua Saturni frigiditas, quæ ardorem temperet, ne quęſita citò diffluant, ſed futuris neceſſitatibus aſſeruentur.

Tertia domus dicitur eſſe fratrum, in illam enim incidit antiſcium Veneris, & ejus trinus aſpectus, quia primus amor, conciliante naturâ, ſolet intercedere inter fratres, tùm ſympathiâ communis principij, tùm longâ conuictus habitudine. Domus etiam hæc dicitur eſſe itinerum, quia in illa eſt Virgo domus Mercurij, Deorum, vt fert fabula, nuntij, & ad peregrinationes, ſuâ mobilitate inclinantis. Hinc ſigno Virginis appinguntur alæ, cum ſpica; quia habentur vitæ commoda ex commercijs: denique Virgo, quia ſolent innupti ſuſcipere peregrinationes, non matrimonij familiæque vinculis alligati.

In quarta domo eſt Libra, ſignum aëreum, mobile; & illic Luna, varia ſemper, & mutationibus pręſidens; nam natum omne perpetuo motu variatur, donec deficiat, primiſque ſuccedant ſequentia. Hæ mutationes fiunt in Libra, id eſt velut æquis ponderibus, itaut nihil deficiat, nihil excedat: ſic mare tantum vno littori reſtituit, quantum decerpſerit ex alio, ſibi ſemper par, quia tantùm ex eo efluit, quantum influit; ſic elementa in inuicem ęquis partibus tranſmutantur, vt fuſius diſſerit Ariſt. lib. 1. meteor. cap. 4. In noſtris corporibus nulla pars eſt alteri alimentum, ne ſub obtentu nutritionis, mutilum efficeretur animal, conſumptis ab inuicem partibus: At in mundo, magno animali, partes inuicem ſe nutriunt, eâ juſtitiæ lege, vt quælibet tantum accipiat, quantum alijs contulerit, & hoc videtur diuturnæ ſuæ durationis argumentum, quod proprijs veſcitur, nihil accipiens ab extrinſeco; quodque nihil illi perit, ſed omnia in commune bonum refundantur.

Vt obſeruent Aſtrologi, quis ſit Genius nato dominans, ex diſtantia Solis & Lunæ, aſſumunt mediam partem, & numerando ab Horoſcopo, is gradus in quem incidit hæc medietas, eſt Genius, ita Ficinus, lib. de vita cœlitùs comparanda cap. 23. In hac figura vniuerſi cum Luna diſtet à Sole medietate orbis, media pars Geniúſque numerando ab Horoſcopo, incidit in ipſam Lunam, quâ ſignificatur ſortem mundi eſſe variam, fœlicem tamen, ſi fiat ad Libram, & ex juſtitiæ legibus. Hæc etiam quarta domus, in qua eſt Libra domus Veneris, dicitur ſignificare patrimonia, quia æqualis parentum amor erga liberos, ſolet æquis partibus, illis bona partiri, ſeu teſtamento, quod ideò fieri ſolebat olim, per æs & Libram. §. 1. Inſtit. de teſtam. ordinand. ſeu donatione, quæ ſit anticipata quędam hæreditas, qua fieri ſolent matrimonia, collatis viri mulieriſque velut ad Libram patrimonijs. In hac domo eſt Luna mutationi præſidens, & in ſigno mobili, nam opes, quas auara manus congeſſerat, diffundit & partitur hæreditas, hæcque pręcipua ſolet eſſe cauſa mutandi dominij. Incidunt etiam in hanc domum oppoſitiones Martis, Solis & Mercurij, cum Luna plena.

D

Nam per delatas hæreditates contingit ſplendor & imperium.

Quintam domum obtinet Scorpius, domus Martis amici Veneris, & præſidens partibus genitalibus, fœcundum ſignum, tum ex ſe, tum fœlici trino Iouis, ſub quo fœcundiſſimi Piſces creati; fauet & oppoſitio Veneris in ſua domo exiſtentis. In quinto tamen ab hinc gradu cor Scorpij, ſignificat maximas propter liberos, futuras hominibus inquietudines, periculoſas ſimultates & concertationes.

Sexta domus ſignificat ægritudines, quia nullo aſpectu eſt configurata Horoſcopo, & quia in eam incidit ſextilis Saturni in octaua mortis domo exiſtentis, vim ejus maleficam referens; nam ægritudo media quædam mors eſt, & plurium vitæ functionum priuatio, ad vltimam accedens; temperatur autem hujus domus malignitas ex eo qnod in illam incidit trinus Martis, Solis, Mercurij, ſextilis Lunæ, & quia Sagittarius eſt domus Iouis, in nona exiſtentis. Cùm Iupiter præſens eſt corpore in ſexta, dicitur efficere bonos medicos, & ad aliorum ſolatium paratos. Id innuit, Religionem, tam priuatorum, quam publicorum malorum præſens eſſe remedium: hic etiam mundus qui totus in maligno & concupiſcentijs poſitus eſt, ſub Religione fœliciter langueſcit in ſalutem. At vt optimi corruptio peſſima, ſic falſæ Religionis ſumma pernities; quid enim crudelius, quàm idololatriæ tempore, ciues à ciuibus, liberos à parentibus Dæmonijs immolari? Sæuiſſima ſunt pro Religione bella, in quibus parricidium videtur pietas, nihilque pertinacius, & per calcatas naturæ leges, cæco magis furore homines deffendunt, quàm quod maximè ignorant. Ita Iupiter Religioni præſidens, domos ſuas Sagittarium ſcilicet & Piſces habet quadrato hoſtili radio ſe reſpicientes: duabuſque ſuis qualitatibus contrarias, & ipſe Sagittarius, ſub figura monſtri, Centauri ſcilicet ſagittam arcu mittentis, pingitur, quia in his quæ fiunt de Religione concertationibus, ratio deſinit in feritatem, bellique furores. Dicunt etiam aliqui Religionem eſſe qniddam monſtrificum, dum alia ſupra, alia infra rationem credenda proponit. Sic domus Iouis, ideò forte domus eſt ægritudinis; quia nunquam orbis grauiùs, quam Religione hominem homini negante, laborat.

Septima domus oppoſita primæ, ſignificat nuptias fœlici augurio perennitatis mundi, cum occidens ortum deſignet, & vnius corruptio ſit alterius generatio, cadenſque ſenio parentum vita reparetur in prole; ſic in hanc domum fœliciter incidit trinus Veneris, & ſextilis Iouis. Hinc fortè apud Romanos in templo libitinæ Veneris vendebantur quæ ad ſepulturam pertinebant. Congruit etiam Capricornus ſalax animal, ſolum ex omnibus, vt ferunt, quod non tangitur zelotypiâ. Vt talis ſyderis influxus à quo pendet hæc animalis proprietas, ſit velut antidotum tàm depranati motus, qui ſolet matrimonio junctos in furorem, mutuámque pernitiem agere. Hujus loci diſpoſitor eſt Saturnus in domo Martis, quia nuptiæ conjunctorum mortem, & præuident, & accelerant.

Octaua domus ſignificat mortem, quia vt vulgò dicitur nullum habet cum Horoſcopo aſpectum, ſed maximè propter præſentiam Saturni, qui locum hunc infœlici ſuâ præſentiâ, ab initio funeſtauit; & ita de ſequentibus domibus facile eſt judicium, propter præſentiam ſuorum planetarum.

Nona domus ſignificat Religionem à præſentia Iouis, & ſextili Veneris; & quidem in Piſcibus mutis, quia Religionis pars maxima eſt in ſilentio, arcanis & myſterijs: fœcundiſſimum ſignum, & propter facilem ſeminum confuſionem, monſtrificum; quia mirum eſt, quàm ſponte ſua ruant in nouas Religionis opiniones populi, etiam à ratione & pietate penitùs alienas. Quid ni Iupiter in Piſcib. ſignificet piſcatores, futuros Religionis

antiſtites; & Piſces pro alimento Religioſis hominibus: etiam plebi, eo maximè tempore quo viget pietas, dum Sol decurrit ſignum Piſcium.

In decima eſt Aries ſignum igneum, exaltatio Solis, & in quo juncti ſunt Mars, Sol & Mercurius flagrantem eorum induens naturam: vt tot calidorum ſigni & planetarum vires, ſtagnantes inferiùs aquas abſumerent, terramque ſuæ redderent fertilitati. Hæc domus dicitur imperia ſignificare pluribus de cauſis, primò quia occupat illam Aries primum ſignum, at inter pares ſenior dominatur: Ideo ſapor Rex Perſarum Aſtrologiæ peritùs in ſuo diademate gèſtabat expreſſum caput Arietis, vt refert Rodigin. lib. 18. cap. 18. Eſt etiam in ea domo Sol, luce & influxu planetarum dominus, Mars ſignificans vim, Mercurius artes, quibus imperia quæruntur & conſeruantur. Hi etiam planetæ ex alto, & ex perpendiculò potentiorem influxum in inferiora mittentes, conuenienter dominationem ſignificant. Teſtantur hiſtoriæ artium inuentores apud ſuos, non ciuiles tantùm, ſed & diuinos honores obtinuiſſe. Nunc etiam fama celebres efficit, & omnibus velut in meridie, imperio, armis, ſcientia magis inſignes; & illis olim, præ cæteris ſtatuæ poſitæ. Mercurius dominus tertiæ, cum Sole & Marte, ſignificat peregrinam dominationem, & futurás in orbe populorum innundationes imperia ſibi vindicantes.

Vndecimam obtinet Taurus, domus Veneris, illi præſentis termino etiam & trigono potentis; hæc ideo domus dicitur amicitiam ſignificare, quia Venus fuit poſt Deum prima pulchritudinis, amoris vnientis, & fœcunditatis parens, cùm, vt ſupra diximus, terra produxit herbam virentem, flores, fructus, ſemina. Venus hîc in ſigno terreo, ſignificat mundanas amicitias, vt plurimum rerum terrenarum causâ, & quæ ſenſus afficiunt, contrahi; haſque ex judicio Paridis præferri rebus intellectualibus, quarum ſignificatio eſt in Libra, altera Veneris dòmo, aërei trigoni, in imò cœli, velut repudiata exiſtente, & tum natura ſua, tum ob Lunæ præſentiam, mutabili.

Duodecima denique & vltima domus, ſignificat hoſtes, eo quòd in illa primum contrariæ qualitates, vt diximus ſunt ab inuicem diuiſæ. Significat etiam carceres & vincula, quia ab Horoſcopo in illam deueniens planeta, terræ vaporibus, tanquam vinculis & cæco carcere cohibetur ne vires ſuas liberiùs effundat; naſcenſque velut infantiæ pannis obuoluitur. Vt dicitur. Iob. 28. Et hæc generaliter dicta ſint de duodecim cœli domibus, quarum ſignificationes, infra poſiti ſecundæ partis euentus, & experimenta comprobabunt.

DE MAGNIS ANNIS.

CVIVSQVE rei partes conuenienter ordinatæ, reſpectum & pro-
portionem habent ad ſui totius quantitatem; gigantei corporis pe-
des & greſſus longè noſtros ſuperant; quartanæ pertinacis & diu dura-
turæ parocyſmi, diſtant majori, quàm in cæteris febribus interuallo; Ma-
joris circuli in carta delineati gradus cum ſuis minutis, ſunt majores,
quàm exiguæ & contractæ circumferentiæ. Sic mundi, majoris anima-
lis, & vitæ dinturnioris anni, noſtris Solaribus debent eſſe multò lon-
giores. Talium annorum meminit Ariſtoteles 1. meteor. cap. 14. cùm
aſſerit eadem ratione qua ſingulis noſtris Solaribus annis, contingit hyems
& ęſtas; ſimiliter in mundo ſibi ſuccedere, majoribus tamen interuallis,
cataclyſmos ad reparationem humidi, diuturnis caloribus abſumpti,
tum ariditates & incendia, paribus periodis, ne calor innatus, viſque
viuifica nimijs extinguatur humoribus. Marſilius Ficin. Theologię Plato-
nicę lib. 4. cap. 2. refert ex Platonicorum omnium opinione quemlibet
magnum anni mundi eſſe 360. noſtrorum annorum Solarium; itant annus
hic noſter Solaris, ſit velut vnus dies in hoc magno anni mundo; Ita ſen-
tiunt Albumazar, & alij Arabes quorum opiniones refert Iunctinus lib. de
reuolutionibus annorum mundi, & ex eorum ſententia, tales annos vo-
cat magnos orbes, qui cum ſint ſinguli 360. annorum, ſic eos diuidunt,
vt ſingulis ſinguli dominentur planetę, ſecundum ordinem quem habent
in cœlo; Primę domui ſeu primo magno orbi ſcilicet Cancro domina-
tur Saturnus, Leoni Iupiter, Virgini Mars, & ſic de ſequentibus, quo-
rum ſignificationes, cùm ſunt domini anni, vide apud Iunctinum; gene-
raliter ſumi debent pro ratione ſigni & planetæ dominantis, vt fit in frida-
rijs. Hos magni orbis, ideſt magnarum domorum, dominos ſuperpoſito
caractere notauimus in figura vniuerſi, & in cujuſque domus expoſitio-
ne, eorum aliqua habetur ratio. Itaque ſicut in ſingulorum geneſi, vna-
quæque domus per profectionem ſecundum ſeriem ſignorum deſignat an-
num vnum, 360. dierum & effectus, pro ratione planetarum eorumque
aſpectuum, occurrentes; ſic in hac figura vniuerſi quælibet domus ſignifi-
cabit magnum annum, ideſt 360. annos noſtros Solares, itaut quilibet gra-
dus valeat duodecim hos communes annos. Solebant antiqui magnam
pœcuniæ ſummam per libras argenti, auri, & per talenta dinumerare, ne
magnus numerus vilioris monetæ, mentem confunderet. Sic licebit annos
mundi numerare non per millenos noſtros Solares, ſed per ſuos magnos
annos, quorum jam decurrit decimum quintum, pubertatis, & laſciuientis
ætatis.

Ne mireris, LECTOR, ſi chronologia noſtra, cæteris authoribus
in totum non conſentiat, cum & ipſi inter ſe non concordent, & poſt
diuturnos calculi labores, ingentiaque volumina, tradant nobis non
doctrinam, ſed confuſionem temporum. Nam in tanta opinionum ſe
mutuò impugnantium varietate, quæ poteſt eſſe fides? cui adhærere
ſecurum? Ambiunt omnes ſacræ ſcripturæ, vnde petenda veritas,
conformes fieri in annorum calculo, ſed id aſſequi dificillimum, pro-
bat vel ipſa pertinax in contrarias ſententias diſceptatio, quælibet ſuis
probabilibus nixa fundamentis. Quod, vt opinor, procedit èx eo
quòd varia fuit apud antiquos tempora dinumerandi methodus, de qua
nihil certò conſtat; & ſi ab vrbe Roma condita, annus primò fuit de-
cem menſium, & illi poſtea duo menſes, dieſque intercalares additi;
quanta major credi poteſt aberratio & diuerſitas apud rudes populos, in

annorum

Digitized by Google

annorum compnto. Cum igitur annos recenſet ſcriptura, quis certò nobis explicet an tales anni fuerint Lunares, Solares, ſyderei, tropici, denique ciuiles, ad arbitrium populorum, dominantium, variantium denique conſuetudinum, nunc breuiores, nunc diuturniores. Temporis dinumerandi certa regula petenda eſt à cœlo, quod à Deo factum eſſe dicitur in ſigna & tempora, prius in ſigna, quam in tempora, quia ex ſignis, ſcilicet ex accidentibus, cœlorum tunc regnanti diſpoſitioni congruis, temporis ratio colligi debet. Id aſſequi conamur hoc opere, ita tamen, vt quanto minus fieri poteſt, à chronologia communiter recepta, diſcedamus.

DE DIRECTIONE ET TRANSITV Planetarum.

IN medio hujus figuræ vniuerſalis, aliam apponimus mobilem, paribus ſignis, planetis, aſpectibus annotatam, cujus prima pars quæ eſt Cancri, deſignans primam domum ſeu Horoſcopum indice, & excedente cartulâ in ſignis, apponenda eſt anno mundi currenti, & ſic apparebit tranſitus planetarum per ſe inuicem, vnde velut ex directiune fiet judicium. Vt verbi gratiâ, tempore diluuij Saturnus tranſit per Horoſcopum. Sic de alijs, quibus vix eſſet vlla fides habenda ſi non experimentis probarentur.

Non immoramur in exponenda ſignificatione tranſitus planetarum per ſe mutuò. Id enim ſupponimus ex communi doctrina Aſtrologorum & præcipuè Albumazar qui tales tranſitus explicat vno libro integro, & poſt eum Iunctinus. Notandum breuiter, quòd planeta qui ad alium accedit, induit naturam ejus cui accedit, ſi talis ſit fortior dignitate, ſua ſcilicet & ſigni conuenientis. Tunc enim planeta accedens eſt velut aduena, qui ſequitur leges ciuitatis ad quam venit. Quia tamen omne agens repatitur, aduenien s planeta aliquid de ſuo imprimit alteri, quod habita ratione virium vtriuſque & ſigni ponderandum eſt.

COLLATIO FIGVRÆ SINGVLARIS CVM FIGVRA VNIVERSI.

PRÆFATI ſumus vniuerſum ſingulis in eo & ex eo naſcentibus eſſe loco parentis, & ex eius figura plurimum pendere cuiuſlibet hominis geneſim; Vnde fœliciores ſunt habendi quorum figura cum hoc vniuerſi themate conſentit, melius enim diſpoſiti ſunt ad hauriendum ſpiritum vniuerſi de quo Marſ. fiin. lib. de vita cœlitus comparanda. cap. 11. ſic Almanſor propoſ. 72. dicit eum futurum fama celebrem, qui habet idem medium cœli ac ipſe mundus, vel Horoſcopum mundi in medio Cœli. Huic fœlici poſitioni ſiderum adſcribunt ſummam potentiam Solimani Ottomani Imperatoris Turcarum, qui vt refert Iunctinus in Ptolomæum lib. 4. cap. 2. habuit medium Cœli 5. arietis, & in ea domo Martem; in apice Solem & Mercurium ſicut fuerant in figura vniuerſi propoſita.

Quod ſi huic vniuerſi figuræ ſingularis non conueniat, poterit tamen fieri iudicium ex vtriuſque collatione, itaut ſingularis afficiatur ab vniuerſali quam ſupponimus immutabilem & potentiorem. Vt autem hæc fiat comparatio. Deſcribantur ſigna Zodiaci in circulo cum planetis in ſuis domibus vt erant mundo naſcente. Saturnus in Aquario in 8. Iupiter in Piſcibus in 9. Mars, Sol, Mercurius in Ariete in decima; Venus in tauro in vndecima. Luna in Libra in 4. & conſequenter alia ſigna in alijs domibus. In huius majoris figuræ medio, fiat minor circulus in quo deſcribatur figura ſingularis de qua quæritur, ſignis, planetis, domibus ordine ſuo poſitis. Horoſcopus huius figuræ ſupponatur ſigno ſuo in ſuperiori mundi figura, ita conſtabit quomodo domus ſibi reſpondeant, & inde feres iudicium. Verbi gratia, ſi quis habeat primam partem Libræ in Horoſcopo, illum indice notatum ſubijciam quartæ domui mundi in qua eſt Libra cum Luna; Sic licebit augurari. Prima domus in 4. mundi, quæ eſt fouea cœli, oppoſitæ decimæ, ſignificat natum dignitates repudiaturum, vitæ ſolitariæ amatorem, mutabit tamen loca & genus vitæ propter Lunam hic occurrentem in ſigno mobili. Secunda acquiſitionum in 5. mundi, acquiret bona per liberos cum aliquo tamen detrimento propter quadratum Saturni. Tertia in 6. fratres habebit ægrotantes & in religione ab ipſa deficientes propter quadratum Iouis. Quarta in 7. cuius diſpoſitor eſt Saturnus in 8. videbit mortem parentum, aliquem eorum habebit ſibi infenſum, carebit patrimonio. Quinta in 8. aliquos ex filijs amittet, auerſabitur voluptates propter Saturnum. Sexta in 9. vix ſentiet ægritudines niſi piè ſuſceptas propter corpus Iouis. Septima in 10. patietur dominantes ſibi infenſos, eius tamen ſalua gloria. Octaua in 11. mortuus deſiderabitur & coletur. Nona in 12. patietur hoſtes Mercuriales Religionis cauſa, quibus tamen non ſuccumbet ſed velut paribus armis decertabit, etiam conciliabitur propter Mercurium vtriuſque diſpoſitorem. Decima in 1. ſua præcipua dignitas

erit in vitæ priuatæ optima inſtitutione, varia tamen. Vndecima in 2. acquiret amicos nobiles. Duodecima in 3. aliquos ex ſuis fratribus habebit ſibi iofenſos ſed occultè. In alijs figuris ſimile poterit fieri iudicium, etiam exactius, ſcilicet ratione planetarum figuræ ſingularis, quos hic noo expendimus.

Vt mundi ſic regni cuiuſlibet figura rationem habet cauſæ voiuerſalis, cui quo magis conformior, eo fœlicior erit regnantium geneſis. Eſt enim communis Arabum noſtrorum ſententia, Regem fœliciter regnaturum, cuius figura, cum regni ſui figura conſentit, idque magna religione in ſuis eligendis & inaugurandis regibus obſeruabant Ægyptij. Hinc fortè pendebat Auguſti fœlicitas quod haberet in Horoſcopo capricornum, qui erat in decima figuræ particularis vrbis Romæ. Cum enim vt infra dicetur, currentibus magnis annis mundi, Roma nata ſit in primò gradu arietis, ſi hunc in figura particulari, ſecundum methodum infra exponendam, conſtituas in Horoſcopo, Capricornus erit in decima, & hic exiſtens in Horoſcopo Auguſti, huius Reipublicæ dominium effecit, illi velut proprium. Ideo quaſi ſic Cœlo decernente imperium ei contigiſſet, numiſma cudi voluit, in cuius vna parte erat ſui vultus figura, in altera Capricorni. Hunc eundem Horoſcopum habuit Carolus V. Imperator Romano, Hiſpanico, & proprio ſuo fato concordi ad Imperium euectus.

SECVNDA PARS.

AD LECTOREM.

QVÆ præmiſimus minùs habent difficultatis, cùm verſentur circa res merè naturales, & inferioris mundi paſſiones indolemque conijciant ex corporum cœleſtium influxu, quod rationi, & ordini diuinæ prouidentiæ conuenientiſſimum eſt: At cùm hæc ſecunda pars agat de rerum humanarum & diuinarum quadam congruentia cum cœlo, titubant mentes talibus nondum aſſuetæ, etiam horrent, velut aliquid proponatur, quod humanæ libertati, diuinæque potentiæ detrahat. Amice LECTOR, omnia probare, quod melius eſt tenere, monet Apoſtolus; etiam innoxiè venena tractantur, & vtiliter temperantur. Vocaris ad vniuerſi ſpectaculum, accede curioſus ſpectator, æquus judex, cum hoc animi firmiſſimo propoſito, vt nulli rei aſſentiaris, quæ vel minimum à fidei decretis diſſentiat; Idem mihi propoſitum, inquirere naturalia, diuina mirari, vbi ratio deficiet, limiteſque Eccleſia poſuerit, humillimo mentis aſſenſu venerari. Nihil hic habes à me confictum, quod enim aſtra talis ſint virtutis, quòd Cancer & Luna præſideant humidis; quòd Sol & Mars calori, quòd Venus fœcunditati, & ſic de alijs, omnium antiquorum & recentiorum conſenſu receptum eſt, & id negare tàm abſurdum eſſet, quàm ignem eſſe calidum, aquam frigidam, aërem Solis præſentiâ lucidum. Si ſequaris poſitam in hac vniuerſi figura, ſignorum, planetarum magnorumque annorum ſeriem, videbis, & exactè diſcuſſa teſtabitur chronologia, rerum euentus reſpondere tunc regnanti cœlorum conſtitutioni; quomodo id fiat, neſcio; mirari licet, non decernere. An Deus vtitur cœleſtibus, velut prouidentiæ ſuæ inſtrumentis, ad virtutis præmium, & mali correptionem, vt temperatis Solis ardoribus ad fructuum maturitatem, & nimijs, ad ſterilitatis pœnam? An infinita ſapientia à fine ad finem omnia fortiter ſuauiterque diſponens, idæis ſuis cœleſtia, cœleſtibus terreſtria, ſic mirè contemperauit, vt conſonent, & vt in protntypo, ſic in opere, libertati neceſſitas conueniat? An cœli conſtitutio concurrit cum humanis actibus, non vt cauſa naturalis, non vt inſtrumentum prouidentiæ, ſed vt externa quædam congruentia quæ ipſis aſtipulatur, magiſque ſignificet, quàm efficiat? Sic Eccleſiæ Patres, & S. Scripturæ interpretes, paſſim annotant curioſam Dei agentis in tempore congruo, velut electionem. Vt quòd iratus Adamo poſt peccatum, ei loquutus ſit ad auram poſt meridiem, ideſt calore jam tepeſcente, qui ſignificaret juſtitiam miſericordiâ temperatam. Quòd Angeli ad delendam Sodomam venerint veſpere: quòd Chriſtus hominem ad ampliorem lucem, & gratiam tranſlaturus, natus ſit cum incipiunt dies creſcere: quòd carnem ſuam daturus ſub ſpecie panis, natus ſit in agro fertiliſſimo Bethleem qui dicebatur domus panis. De hac materia differens, inſignis pietate & doctrina Gerſon, in trilogio Aſtrologiæ theologiſatæ, propoſitione 3. his vtitur verbis. Eſt probabilis opinio & ſubtilis, quòd Deus præſcius futuri caſus hominum, deſcripſit in cœlo quaſdam congruentias concurrentes in decurſu totius mundi, vſque ad finale judicium: & hoc intenderunt illi qui voluerunt concordare Aſtrologiam cum Theologia, ſicut Reuerendiſſimus Pater Dominus Car-

dinalis

Digitized by Google

dinalis Cameracenſis, & illi quos inducit loquentes de ſectis, & de diluuio ſenſiſſe videntur. Facit ad hoc, quòd vix reperitur aliquod miraculũ fuiſſe factum, quin in circumſtantijs concurrerit aliqua naturalis actio: præterea fides, quamuis ſit ſupernaturalis, non recuſat rationes & congruentias naturales; nec charitas ſupernaturalis, motiua naturalia ad amandum, quoniam talia faciunt ad conſolationem fidelium, atque mundanorum. Hæc Gerſon. Et ſanè ſi ſacramenta interiùs operantur, quod exterius ſuis naturalibus qualitatibus ſignificant, dubiumque ſit apud Theologos, an ad diuinæ gratiæ infuſionem agant phyſicè vel moraliter; non eſt indignum diuinam prouidentiam in orbis regimine, vti ſtellarum poſitione rebus à ſe peragendis congruâ, nec videri debet irreligioſum id ſpeculari, cùm Moyſes juſſus ſit erigendi à ſe tabernaculi idæam in monte contemplari, & cœleſtium corporum ordines, ad ſacras inſtituendas cæremonias transferre. Meum eſt, LECTOR, hîc exponere qualis fuerit apta cœli conſtitutio, cùm Deus, Imperiorum, legumque initia aut fines poſuit; tuum eſt rationem inquirere, & ſi deſit, mirari; non innocentem animi laxationem in crimen læſæ Religionis vocare.

Iulius Firmicus edidit mundi naſcentis thema, in quo ponit gradum 15. Arietis in decima. 15. Tauri in vndecima: ſic cõſtituit cæteras domos modo æquali. In prima domo Lunam in 15. Cancri. Solem in 15. Leonis. Mercurium in 15. Virginis. Venerem in 15. Libræ. Martem in 15. Scorpionis. Iouem in 15. Sagittarij. Saturnum in 15. Capricornij. Sequitur quidem opinionem antiquorum qui aſſerunt naſcente mundo planetas fuiſſe in proprijs ſuis domibus; ſed videntur non benè conſtitui in 15. gradu talium ſignorum, cum eorum vis maxima ſit in initio propter terminum connaturalem planetæ illic exiſtentem; vnde planeta in primo illo gradu eligitur cum conſtruendæ ſunt imagines. Solem ponit in Leone, tamen conſentiunt omnes Aſtrologi, eum fuiſſe in Ariete, vt diximus, & ideo ſingulis annis fiunt reuolutiones, eo primum punctum Arietis ingrediente. Abſurdum videtur Solem, cæteroſque planetas fuiſſe ſub terra, non ſuper Horizontem in quo facta deſcribitur creatio; noctem fuiſſe vbi dicitur fiat lux; hanc vniuerſalem & nobiliſſimam geneſim fuiſſe nocturnam, Lunamque deficientem lumine, cujus plenitudinem non acceperat. Saturnus ex ſeptima, feriens oppoſitione ſua Horoſcopum & Lunam ejus dominam, non natalem, ſed abortum ſignificat. Mercurius diſtat à Sole 30. gradib. cum non poſſit diſtare niſi 23. Denique rationes quas affert ſic conſtituti thematis ita parùm ſunt veriſimiles, vt diuinæ ſcientiæ alioquin peritus, illi hoc in negotio non paruam inferat contumeliam.

Melius Cardinalis de Alliaco qui in hujus mundani thematis decima ponit primum gradum Arietis, & in eo Solem, Saturnum in Aquario, Iouem in Piſcibus, Venerem in Tauro, differt à nobis quod Lunam ponit in Tauro, Mercurium in Geminis diſtantem à Sole 60. gradib. cum non poſſit diſtare niſi 23. Sic Pico Mirandulano juſtam dedit conuiciandi rationem. Hinc tamen maximum nobis patrocinium, certaque cautio, curioſam hujus mundani thematis inueſtigationem non officere fidei, cum habeamus eruditiſſimum ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalem inuentum ſuum hac de re proferentem, huieque operi nomen ſuum inſcribentem, ea fronte qua Crucem præfert, & Catholicam fidem magnificè purpura profitetur. Non eſt igitur innocenter tantùm curioſa ſed eſt etiam vtiliſſima ſpeculatio mundani thematis, quia vnica hæc nobis ſupereſt via & methodus ad erigendam figuram vrbis aut regni, & ad præuenienda quæ illis imminent mala, vt infrà docebimus in prooemio tertiæ partis. Nunc iſta dilucidiùs exponere non expedit, generalia tantùm exequimur quæ pertinent ad mundi fatum, vnde patet in regno ſummæ ſapientiæ, nihil caſu fieri, ſed ordine certo cuncta decurrere, & vt mari, ita rebus humanis poſi-

tos à Deo terminos qui præteriri non poſſunt. Ludit in orbe terratum eius ſapientia, dùm humanis diuina cœleſtiaque mirâ ſubtilitate contemperat; ſic fœliciter ludenti adſumus intellectu, plaudimus, congratulamur, & hoc opuſculo laudes dicimus. Duplex erit circulatio, quam ducta linea diſtinguit; prima à mundo naſcente, ad Chriſtum; ſecunda, à Chriſto ad nos, & vltrà. In vtraque expendemus euentus, prout ſeruato annorum & domorum ordine contigerunt.

PRIMÆ CIRCVLATIONIS.

DOMVS PRIMA.

MVNDANÆ viciſſitudinis & inconſtantiæ ex figura vniuerſi plurima ſuppetont argumenta, quod in quatuor angulis ſint ſigoa mobilia; in prima & decima dno, duabus ſuis qualitatibus contraria, Aries ignei trigoni, & Cancer aquei, quæ viciſſim res in contrarium afficiunt & verſant. Cancer domus eſt Lunæ, quæ omnium planetarum mobilior, magnas efficit mutationes in his quibus dominatur, & hîc maximè cùm in illam incidat genius mundi. Depictæ ſunt vt diximus figuræ animalium, quibus explicatur ſignorum occulta vis: Cancer autem eſt animal cui proprium retrocedendo progredi; idque ſignificat, non modo quòd Sol ad illud ſignum perueniens, retrocedit, incipiuntque dies decreſcere; ſed notat etiam in humanis mutationes in deterius fieri ſolitas. Id maximè congroit lapſui primi Angeli, & primi hominis, qui ambo, præuaricatores effecti, ſpoliati ſunt ampliſſimis gratiarum donis, quibus ab initio Deus illos illuſtrauerat. Luna Horoſcopi domina, in domo Veneris, & ipſa Venus in Tauro ſigno terreo, terrenoſqoe vt dicunt affectus inſpirante, ſignificare videtur lapſum Adami cootigiſſe ex affectu nimis propenſo ad res terrenis magis ſenſibus, ideſt tactui & guſtui, blandientes. Sed pars fortunæ in occidente, vt promittit ex corruptione generationem, ſic fœlicem ex lapſu reſtitutionem, vnde meritò dicitur fœlix culpa, quæ talem meruit habere redemptorem.

Anno mundi 130. Caïn occidit innocentem fratrem Abel, in tranſitu capitis Meduſæ per vndecimam, & corpus Veneris; ſic enim læſit naturale fœdus, primamque inter fratres amicitiam; id etiam ſignificare videtur Saturnus hujus primi magni orbis fridarius & dominus.

Anno mundi 235. Seth genuit Enos, cujus anno circiter centeſimo viget Idololatria inter filios Caïn. Id ſignificari videtur ex eo quod tunc Saturnus applicat ad corpus Iouis in nona, & Iupiter ad corpus Martis in decima, eſt itaque maxima conjunctio trium ſuperiorum planetarum, vnde dicunt fieri magnas in Religione mutationes. Quia tamen Iupiter fœlix eſt in decima domo, in qua conjungitur Soli & Mercurio, quos velut ex ſe indifferentes in ſnam trahit naturam; pietas æquis velut viribus decertat contra Idololatriam; dicitur Gen. 4. quod tunc Enos cœpit innocare nomen Domini; inſtituit enim ſacras cæremonias ad Dei cultum, piaſque congregationes, quibns fauebant Sol & Mercurius Iouiales vt diximus effecti, & velut Iouis diſpoſitores, tnnc tranſeuntes per corpus Veneris in vndecima ſocietatos ſignificantis.

SECVNDA DOMVS.

VACVA ſunt hæc prima mundi tempora defectu hiſtoriæ, quæ res ſingulariter geſtas referat; Probabile tamen eſt in hac domo acquiſitionis, homines multiplicatos ſuper terram, quærendis poſſeſſionibus, & condendis vrbibus intentos fuiſſe; ſub Ioue optimo, hujus orbis magni diſpoſitore.

Anno mundi 623. Enoch pius, & qui dicitur ambulaſſe cum Deo, natus eſt in gradu 23. Leonis termino Mercurij. Anno ætatis ſuæ circiter centeſimo fulget ejus pietas, dum Iupiter tranſit per corpus Veneris, & Venus per Horoſcopum. Sic primorum hominum & Patriarcharum ſingulares actiones, ſignificantur à cauſis vniuerſalibus, quia in illis, velut in principijs reſidebat ſors mundi.

TERTIA DOMVS.

ANNO mundi 930. Adam moritur, Saturno applicante ad caput meduſæ in decima; in qua hæc infauſta conſtellatio de natura Saturni ſignificare videtur mortem primi hominis, ad inferiorum creaturarum imperium nati. Hujus domus fridarius eſt Mars, infortuna, Ioui & pietati contraria.

Circa annum 1080. Saturno accedente ad corpus Veneris; & librâ eius domo cum Luna, tranſeunte per ſeptimam conjugiorum domum, celebrantur infœlicia conjugia, inter filios Seth qui vocantur filij Dei, & filias hominum, ideſt Caïn, vnde naſcuntur gigantes, fitque magna morum corruptio, diluuio tandem coërcenda. Hæc magna mutatio videtur ſignificari ex eo quòd mutantur in inuicem anguli figuræ mundi, nam decima peruenit ad primam, prima ad imum cœli, imum cœli ſeu quarta ad ſeptimam, fitque quædam mundi criſis, dum planetæ in ſuis domibus exiſtentes, deueniunt ad ſuas quadraturas: fit etiam tranſitus à ſigno terreo in aëreum, duabus qualitatibus ſibi contrarium.

QVARTA DOMVS.

OPPOSITIONES Solis, Martis, Mercurij, cùm corpore Lunæ, deſignant inſignem hanc in mundo mutationem à gigantibus, quorum proceritatem effeciſſe videtur apex & altior pars cœli ſcilicet decima domus, veniens ad Horoſcopum, cum planetis dominantibus, & ipſa Luna in domo Veneris tranſiens per ſeptimam, plena, & ne fieret Eclypſis in apogæo, ſupremaque parte Epicycli conſtituta, humoribus, & dilatationi præſidet. Huic etiam domui fridarius Sol, cæteris planetis major; proceritatem corporis, & ſtabilitum inter homines dominium ſignificabat.

Anno 1200. & ſexcenteſimo ante diluuium, Noë naſcitur in 10. Libræ, & termino Mercurij; Lucidâ Eridani quæ eſt de natura Iouis & Veneris tunc tranſeunte per Horoſcopum; quibus inſignis eius iuſtitia videtur ſignificari.

QVINTA DOMVS.

DOMVS hæc ex ſe bona, vt diximus, fœlicior efficitur circa annum 1440. trino Iouis, ejuſque tunc tranſitu per Horoſcopum Id fauebat Noëmo ad prædicationem pœnitentiæ, & impletionem diuinæ voluntatis in

F 4

arcæ fabrica. Sed in ea domo, Scorpius domus Martis Religioni infenſi cum quadrato Saturni & oppoſitione Veneris; pertinaces indicat homines, & impœnitentis laſciuiæ. Id etiam ſignificabat Venus fridaria in hac Martis domo. Luna tunc tranſiens per corpus Saturni, in domo mortis exiſtentis, ſignificare videtur decretum Dei, de delendis hominibus per aquas.

SEXTA DOMVS.

PLVRES chronologiæ ſcriptores conſtituunt diluuium anno 1656. juxta ſeriem annorum quos Moyſes in geneſi Patriarchis adſcribit, ex verſione S. Hieronimi: At Baronius in Martyrologio Romano, dicit, diluuium accidiſſe anno 2242. juxta verſionem 70. Interpretum. Iulius Hilario in Bybliotheca Patrum illud aſſignat an. 2257. & Pererius citat Sixtum Senenſem in Bybliotheca Sancta, qui refert triginta diuerſas opiniones, de diluuij tempore. In hac tanta authorum controuerſia, licebit medium tenere; cum cætera conſentiant, Aſtrologicis ducti rationibus, diluuium dicimus accidiſſe anno 1800. qui incidit in vltimum gradum Scorpij, ex quo fit tranſitus à trigono aqueo in igneum, qui ſolet eſſe cauſa magnarum mutationum. Tunc Saturnus anæreta, & occiſor mundi quia octauæ dominus, & in illa exiſtens, deueniebat ad Horoſcopum & ſic videbatur mundo vitam adimere: Horoſcopus etiam deueniebat ad vltimum gradum quintæ, in quo eſt antiſcium Saturni: hæc domus ſignificat ægritudines mundi, & quidem ex natura Cancri ſigni Aquei, per aquas: Caput etiam meduſæ mortiferum tranſibat per arcturum procelloſum: & Mercurius hujus magni orbis dominus magnam ſignificabat ſubitamque in orbe mutationem. Si fiat profectio contra ordinem ſignorum, Horoſcopus deueniet ad octauam, domum mortis, in qua eſt ipſe Saturnus occiſor; tunc explicans in vniuerſi funere, totam illam vim mortiferam, quâ poſtmodum in ſingulos parciùs deſæuiret.

Poſt centum nonaginta dies decreſcunt aquæ, & ſub Sagittario, domo & termino Iouis, apparet arcus in nubibus in ſignum pacis deinceps mundo promiſſæ, quaſi Deus arma deponat.

Anno 1932. Nembroth incipit Monarchiam Aſſiriorum, in termino Veneris, & lyra quæ eſt de natura Veneris & Mercurij; hinc fortè fingunt Poetæ, Orpheum ad ſonum lyræ feras ſicuraſſe, ideſt feros priùs homines congregaſſe, & vrbes condidiſſe. Hæc autem lyra facta eſt diſſona per confuſionem linguarum quæ contigit anno ſequenti, dum caput meduſæ tranſit per Lunam & oppoſitionem Martis, Solis, Mercurij, ſic diſſipans imperium, confundens ſermonem, & propter conjunctionem Lunæ, in diuerſas mundi partes, terræ vnius incolas diſpergens. Tunc eductio colli ſerpentis tranſiens per decimam infauſtum portendit imperium. Hic enim Nembroth in ſexta domo ægritudinis, mundum primus affecit tyrannide, morbo deinceps inſanabili, & quo totus orbis altero velut diluuio conſumitur. Malum hoc, aliud ſequutum eſt, nempe Idololatria, cùm Ninus nimio Patris Nembroth ſeu Beli, nuper defuncti deſiderio, eius erexit expreſſam imaginem, & à ſubditis diuinis honoribus coli voluit. Tunc verè mundus decurrens ſextam domum ægritndinis, & Sagittarium domum Iouis, Religioni præſidentis, Religione laborauit.

Poſito diluuio anno 1800. Natiuitas Abrahæ, quæ ex geneſi contigit 290. an poſt diluuium, incidit in annum 2090. in 24. ♐. domo Iouis, ſed in termino Saturni & propter tranſitum Saturni per cor Leonis licuiſſet conijcere multis aduerſis exagitandum, turbatumque ratione liberorum, quia oculus Tauri, ſtella procelloſa de natura Martis, fundentis ſanguinem, tranſit per quintam domum liberorum.

SEPTIMA

SEPTIMA DOMVS.

ANNO 2190. Abraham ætatis ſuæ 100. habet ex Sara vxore ſua, filium Iſaac; Venere tunc exiſtente in domo quinta liberorum, & in ſigno aqueo fœcundo. Hac in domo natum Moyſem ſic probamus: Natiuitas Abrahæ incidit in an. 292. poſt diluuium, juxta verſionem S. Hieronimi; Ab Abraham autem ad exitum de Ægypto numerantur 448. anni. Scilicet an. ætatis Abrahæ 100. natus eſt Iſaac, qui ſexagenarius genuit Iacob. Iacob verò an. ætat. 130. deſcendit in Ægyptum: ab ejus ingreſſu Iacob vixit an. 71. quo mortuo incœpit vexatio populi. an. 7. ante Moyſem, cum ejus ſoror nata eſt Maria, ſic dicta ob amaritudinem & afflictionem ſui populi. Moyſes autem octogenarius eduxit populum; ſi ſimul addas hos numeros fiunt anni 448. Igitur Moyſes natus eſt an. poſt Abraham 368. mundi verò 2458. & populum liberauit an. 2538. in 1. gradu Aquarij.

OCTAVA DOMVS.

ASSERVNT omnes, Iudæos eſſe ſub dominio Saturni; his ducti rationibus, quòd apud eos dies Saturni ſeu ſabbati ſacer eſt, & ſumma religione feriatus; quòd fuerint ſolitarij, & cum nullis populis in religione conſentientes; rara cum illis fœdera & matrimonia, vnde omnibus inuiſi, omnes videbantur odiſſe, vt refert Philoſtratus in vita Apollonij. lib. 5. cap. 11. & Macrobius in ſomnium Scipionis. Sed verior cauſa quòd Iudæi ſint ſub Saturno, videtur eſſe, quia incœpit populus ille ſuus cenſeri, & duces habere, dùm currentibus magnis annis mundi, ventum eſt ad corpus Saturni in octaua domo ſua exiſtentis. Cùm enim egreſſus eſt ex Ægypto, Iupiter tranſibat per antiſcium Martis, Solis, & Mercurij, in vltimo gradu Virginis: quaſi causâ Religionis eſſet imperaturus, Iupiter tamen in imo cœli, minatur huic Religioni ſubjectionem & ſeruitutem: licet ibi Lunæ conjunctus fœlicitatem per aquas ſignificet. Tum quia populus ille in trino Lunæ natus eſt ſic in noui-Lunijs ſolemnia celebrabat ſacrificia.

Legem Moyſi datam à Deo ſanctam eſſe, nemo Chriſtianus ambigit; ſed dici poteſt, Deum vſum eſſe influxu Saturni, infortunæ majoris tunc mundo præſidentis, & hujus etiam domus fridarij, velut Angelo exterminatore ad delendos populos, hoc exterminium præcedentibus ſuis delictis meritos. Anno 2537. petit Moyſes à Pharaone licentiam eundi in deſertum, induratur Pharao, plectitur plagis ab his quos in ſeruitute detinebat, illatis muſcis, tenebris, aquarum corruptione, peſtilentiâ, morte primogenitorum, hæc fiunt inſtrumento virgæ in ſerpentem conuerſæ; quæ omnia, ſolitudo ſcilicet, ſeruitus, induratio, virga, ſerpens, tenebræ, & hæc illata mala conueniunt proprietatibus Saturni. Tandem Moyſes egreditur vi prodigiorum. Egreſſioni fauere videtur Iupiter tunc tranſiens per corpus Lunæ, dominæ Aquarum, quæ in fauorem Religionis retrocedendo, liberum præbent iter. Secunda domus quæ eſt acquiſitionis & Solaris, tranſit per nonam in qua eſt Iupiter, quia Iudæorum populus, vi traditæ ſibi legis, nouas occupaturus erat regiones, & in aliorum labores, Deo ſic decernente, intraturus. Sed vide quanta deuictorum populorum ſtrages; quanta tunc mundo incumbat calamitas; vrbes non expugnantur tantum; ſed ſolo æquantur, ciues omnes, ſine ſexus aut ætatis diſtinctione gladio cadunt. Pium cenſetur victores ne victoriæ

qnidem ſuæ pręda frui, ſed omnia delentur anathemate, quæ licet Dei juſſu facta ſint, conueniunt tamen proprietatibus Saturni, qui facit tetricos, timidos, & ad extremum crudeles. Ita Saturnus ne ſuis quidem parcit alumnis, dicitur enim proprios filios abſumere. Nam quis vnquam populus, tantas cædes paſſus eſt à ſuis ducibus; cùm ob ciuiles motus, nunc quindecim, nunc viginti millia cadant? quis vnquam populus tam duram, & iteratam ab exteris paſſus eſt captiuitatem, vt videatur ſibi quodammodo ſuperſtes, & lento ſupplicio in pœnam ſuam ſeruatus, quod Saturno proprium eſt: Nunc etiam gemit toto orbe terrarum profugus, ſeruus, exul in patria, omnibus inuiſus; in juſtiſſimam pœnam occiſi ab ipſo Meſſiæ. Si fiat judicium ex tranſitu ſignorum & planetarum, indexque conſtituatur in octaua, & in anno mundi currente; ſexta tranſibit per Horoſcopum, quæ ſignificat vitam huic Religioni fore in ægritudine perpetuam: Saturnus in tertia portendit quod peregrina ducetur in ſeruitutem, in qua tamen conſtans in ſuo manebit propoſito: Iupiter in imo cœli, ſignificat deſpectam & ſubjectiſſimam Religionem; decima in quinta illuſtres interdùm promittit filios, qui fortiter ſint pro ipſa decertaturi.

Si quæratur Aſtrologica conuenientia cur toties Iudæi à Babylonijs deleti & in ſeruitutem redacti fuerint, non occurrit alia quam quod Monarchia Aſſyriorum ſeu Babylonica incœperit anno mundi 1932. in 11. Sagittarij domo Iouis, & Iudæi orti ſunt in 2. Aquarij domo Saturni. Sagittarius autem eleuatus eſt ſupra Aquarium, & eſt domus Iouis qui communiter dicitur ligare Saturnum. Sunt & aliæ ſpeciales rationes, vt captiuitas Babylonica & ruina templi ſub Sedecia contigit anno mundi 3430. cum in figura vniuerſi caput Meduſæ tranſibat per originem Iudæorum, & in figura particulari, oppoſitio Saturni tranſibat per Horoſcopum, omneſque planetæ tranſibant per ſuas oppoſitiones. Perſecutio Antiochi contigit anno mundi 3874. originis Iudæorum 1336. cum in figura particulari ventum eſt ad oculum Tauri eius quadratum. Tunc etiam oppoſitio Saturni tranſibat per cor Scorpij. Tandem vltima templi deſtructio facta eſt anno mundi 4029. Christi. 71. cùm mundus peruenit ad 6. gradum Geminorum, quadratum templi hieroſolymitani, quod quidem ædificatum fuerat in 6. Piſcium. Tunc Iupiter tranſiens per originem eius ſcidit velum, figuram & vmbram in veritatem conuertit, ligauit Saturnum, cùm ipſe Iupiter obtineat decimam imperantem in particulari figura Religionis Chriſtianæ. Hæc anticipata temporum ſerie prænotauimus vt generale quoddam Iudaici fati judicium oculis ſubijceretur.

Anno 2869. mortuo Samſone, Heli de tribu Leui cœpit præeſſe populo, cùm annum ageret quinquageſimum, ſimul ſacerdos & Iudex, id ſignificare videtur applicatio ad corpus Iouis, in domo ſua & nona: tuncque cœpit potiſſimum florere Religio, omni poteſtate in illam tranſlatâ. Patitur tamen dùm Saturnus illi præſidens decurrit imum cœli. Vincuntur Iudæi à Philiſtæis, arca ab illis capitur, vnde concepto graui dolore Heli mortuus concidit.

NONA DOMVS.

TEMPORE Heli, in termino Saturni, & eius domo, vexati ſunt Iudæi à Philiſtæis, victi, etiam arca capta, at vbi ventum eſt ad corpus Iouis an. 2889. Samuel rexit populum, & tunc conuerſa rerum facie, in melius omnia ceſſerunt. An. 2890. regnum obtinet Dauid pius, in vicinio Iouis, & in domo Religionis, pro cujus inſtauratione, templique conſtructione, vota facit, & ingentes congregat theſauros. Poſt Dauid, ſcilicet

an. 2930. filius eius Salomon regnum obtinet, electus à Deo vt impleret vota patris; pius, ſapiens, pacificus, in domo Religionis, dominio & fridaria Iouis. An. regni ſui 4. jecit fundamenta magnificentiſſimi templi Hieroſolimitani. in 6. Piſcium. Ambo tamen Dauid & Salomon in termino & exaltatione Veneris, venereis dediti.

DECIMA ET UNDECIMA DOMUS.

ANNO 2240. peruenit mundus ad apicem cœli & decimam domum, vnde cœpit cœli conſtitutio, lux, & motus. Ideoque in idem punctum reditus; tranſitus etiam à ſigno Aqueo in igneum, & planetarum omnium per ſuos quadratos, maximam in mundo ſignificat mutationem. Hæc contigit Imperio Romano tunc naſcente, quod quidem ſub Martis dominio, & eodem hujus domus fridario ferreum, cætera, ſecundum Prophetas, debebat abſumere. Regnatum eſt Romæ an. 244. vt notat Liuius, nimirum regnauit Romulus an. 37. interregnum fuit an. 1. Numa Pompilius regnauit an. 43. Tullus hoſtilius 32. Ancus Martius 24. Tarquinius Priſcus 38. Seruius Tullius 44. Tarquinius Superbus 25. Conſules cœperunt an. mundi. 3478. Olympi. 68. Durauit regimen Conſulum vſque ad imperium Iulij Cæſaris an. 462. Seceſſio plebis in ſacrum montem & creatio prima Tribunorum accidit anno 261. ab vrbe condita. Iulius Cæſar regnauit anno mundi 3937. regnauit 4. an. Interregnum an. 1. & ſem. Auguſtus ſucceſſit an. 3942. ejus Imperij an. 42. Naſcitur Chriſtus Dominus mundi. 3972.

Igitur anno mundi 3231. Roma fuit condita, caput orbis, in ſigno capiti dominanti, & in apice cœli, ipſius magni animalis capite: imperium orbis eſt adepta, in domo imperia ſignificante. Reſplenduit velut Sol, junctis viribus Martis & Mercurij, ideſt Loricæ & Togæ; nec enim minùs ſcientijs, quàm armis floruit, ſuique belli duces, & gentium victores glorioſum ducebant coram populo cauſas clientum agere, quod Mercurio proprium eſt.

Hinc olim in tribus metallis quæ ſunt ſub dominio ſingulari trium ſuorum planetarum, Romanis dabantur tributa, vnde fuit indictio quæ eſt terminus quindecim annorum, continens tria luſtra, & quodlibet luſtrum continet terminum quinque annorum. In primis quinque annis indictionis dabantur Romanis tributa, in ferro, pro armis; in ſecundis, argentum pro ſtipendiarijs; in tertijs aurum pro Republica. Nunc etiam Imperator Rex Romanorum tres habet coronas, ferream Martis; argenteam Mercurij; auream Solis. Thiaram etiam triplici conſtantem corona geſtat ſummus Pontifex, licet indiſtincto metallo, ſed quæ vim indiuiſam trium planetarum mundo ex apice cœli dominantium, ſignificat. Hæc authoritatibus confirmata vide apud Chaſſæneum in catalogo gloriæ mundi part. 5. conſiderat. 27.

Tres autem illi planetæ, ita vires ſuas, naſcente mundo & Roma, conjunctas habuerunt, vt tamen eorum quiſque per vices imperitauerit, eo ordine quo in cœlo poſitus eſt: Primò Mars, ex quo genitus dicitur Romulus vrbis conditor, & præcipuus apud eos Deus; ſub illo fuerunt Reges qui per annos 274. ſuam exercuerunt tyrannidem, imperiumque ex natura Martis violentum: habentes pro inſigni ſecures & faſciculos virgarum. Inter eos Seruius Tullius, ſub igneis planetis & ſigno igneo, ex igne genitus, vt refert Plutarch. lib. de fortuna Romanorum. Reges cujuſcumque vrbis, quæ Martem culminantem habuerit, gladio plerumque pereunt. Ait Ptolomæus in Centiloquio. nu. 36. Cùm talis fuerit mundi naſcentis conſtitutio, Martemque habuerit in decima, videtur minari generaliter, Regibus, Summiſque Pontificibus feralem exitum, ſecundum illud Eccleſ. 10. 11.

Omnis potentatus breuis vita. Id ſpecialiter experta eſt Roma, ſub hac occurrente Martis configuratione, in decima cæli domo, nata. Nam Romulus conditor, ſtatim ab initio, Remum fratrem, imperij collegam occidit; ipſe poſtea ob nimiam feritatem à Patribus eſt diſcerptus; deinceps excepto Numa Pompilio, & Anco Martio, qui morbo interierunt, cæteri omnes Reges Romani, & multi poſtea Imperatores, violentes horrendoſque exitus habuerunt. Vt refert D. Auguſt. lib. 3. de ciuit. Dei. cap. 15. & hęc de Martis imperio breuiter dicta ſufficiant. Succeſſit ordine ſuo Sol planeta communis in Conſulibus & Imperatoribus, vi magis tēmperata, ſplendore tamen illuſtriori: donec hac ſæculari dominatione ſenſim collabente, vices ſuas obtinuit Mercurius, Chriſtianæ Religionis, vt proximè dicemus, diſpoſitor; & is cui omnia peruia ſunt, vniuerſalius efficit Imperium Pontificium. Ipſe tamen Soli & Marti junctus, & oppoſitioni Lunæ plenæ, inclinantis jam in defectum, variam ſignificabat Imperij, bellorum, ſedis ſortem in regimine tum ſæculari, tum Eccleſiaſtico; treſque calidi planetæ in ſigno igneo, & apice cœli, vrbem hanc ſæpius incendijs vaſtârunt.

Si judicium fiat ex tranſitu planetarum, indexque rotæ volubilis apponatur decimæ, Saturnus anareta tranſiens per quintam, ſignificat illam à proprijs filijs, velut parricidio, dilaniandam. Iupiter tranſiens per ſextam ægritudinis, ambiguæ ſignificationis eſt, ſcilicet & orbem Religione laboraturum, & laboranti, Religionem in auxilium adfuturam. Decima Imperiorum cum Marte, Sole, Mercurio, in Occidente, ſignificat quòd cùm mundus ſuum attigerit apicem, omnes ſingulares potentiæ, velut morientes, in vnam ſummam congerentur. Vndecima ſocietatum, cum Venere tranſiens per Saturnum, indicat naſcens hoc imperium, ſocios, velut ſeruos, tandem habiturum. Domus carcerum in qua ſunt Gemini, & eorum diſpoſitor Mercurius in decima, tranſiens per nonam, & corpus Iouis, ſignificat hujus imperij ſedem occupandam à peregrina Religione, ſcilicet Chriſtiana ſub Geminis, vt dicemus, nata.

Anno 3517. occurrit caput Meduſæ, de natura Saturni & Iouis, vimque habens magnæ conjunctionis, inſignem effecit in imperio Romano & ſic in orbe cui dominabatur, mutationem. Tunc enim Reges ejecti, Conſuleſque poſtmodum & Imperatores rexerunt. Tunc etiam Monarchia Aſſyriorum quæ periclitari cœperat anno 3334. in tranſitu Canis minoris per decimam, & Algol per corpus Saturni, penitus extincta eſt hoc anno 3517. Et incœpit regnum Perſarum in decanatu Veneris & termino Martis, luxuriæ deditum, non durabile, ſub [illegible]s infœlicibus auſpicijs, cùm non tam ſui amore quàm alterius odio videatur conditum, projectaſque deſtructi reliquias collegiſſe, ne quid in mundo pereat; continuis exagitatum procellis, durauit tantum per annos 207. Nam juxta Salianum, Monarchia tranſlata eſt ad Græcos 3724. in 11. Tauri, in termino Mercurij, & decanatu Lunæ, quibus mutatio ſignificatur, & in tranſitu Algol per corpus Iouis. Licèt huic Monarchiæ ſplendorem contulerit occurrens ſiniſter pes Orionis, tamen cùm incœperit ſub infœlici cœlorum conſtitutione, parùm etiam durauit, nempè ad an. 3914. tunc enim acceſſit Romano Imperio in 26. Tauri, in humero Orionis de natura Martis & Mercurij, duobus Imperij Romani patronis, & optimè ſignificantibus Genium Iulij Cæſaris, Romanum Imperium tunc occupantis.

DVODECIMA

DVODECIMA DOMVS.

DE Chriſto & Chriſtiana Religione dicturus, iterum profiteor cum Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana, incarnationem verbi, ſummum eſſe diuinæ bonitatis erga homines beneficium, & quod is extremæ foret impietatis, qui myſterium hoc aſtris imputaret, quibus ne vilisſimi quidem hominis actus ſubijciuntur: ſed cum ipſemet Chriſtus paſſim in ſcripturis comparetur lapidi, leoni, agno, alijſque rebus, tum animatis, tum inanimatis, non videtur majeſtate ſua indignom, ſi aſtris comparetur, qui etiam naſcens voluit à ſtella præſignari; & ſi ex cauſis illis vniuerſalibus ducantur quædam congruentiæ ſeu allegoriæ, cum hac mirabili natiuitate, quæ fuit vniuerſale mundi laborantis remedium. Prænuntiatur ab Angelo Dei nuntio, naſciturus, qui naſcitur in Geminis domo Mercurij, quem pariter antiquitas Dei nuntium credidit. Gemini eſt ſignum vnum Zodiaci, ſed Bicorporeum, in quo apparent duæ ſtellæ, vna fulgentior ſecundæ magnitudinis, altera minor, ſed vim à ſibi coniuncta ſumens. Ab Aſtrologis prima dicitur Appollo, 2. Hercules, heros vt fertur propter egregia ſua facta, & orbem ab innumeris mônſtris ſois laboribus liberatum, diuinitate donatus. Id expreſſerunt Poëtæ per Pollucem & Caſtorem Geminos diuino patre, matre mortali natos, ea tamen ſuperioris ad inferiorem charitate, vt fratrem alterna morte redemerit. Numquid hoc ſignificat duas in Chriſto naturas diuinam ſcilicet & humanam in vno verbi ſuppoſito; humanam pro ſalute mundi mille laboribus expoſitam, ſed reſurrectione & immortali gloria coronatam. Naſcitur Chriſtus Dominus an. 42. Imperij Auguſti mundi 3972. in 1. gradu Geminorū, orbe toto in pace compoſito, pacem ipſe ſpiritualem mundo daturus. Sub Venere hujus domus fridaria, amoris & pacis conciliatrice. Tunc res Romana fœliciter ſe habebat ſub Auguſto: quia mundus deuenerat ad ſignum Geminorum in ſextili & amico aſpectu vrbis Romæ. Domus tamen hæc, eſt inimicorum, carcerum, calamitatum: talibus enim ſe, ſuoſque Chriſtus vltrò obtulit, paſſus eſt Mercuriales doctores infenſiſſimos ſibi, à quibus tandem vltimo ſupplicio, pro mundi ſalute affectus eſt, & ſua Religio durante tota hac duodecima domo, ideſt per 360. annos vexata fuit aſſiduis perſecutionibus; his tamen creuit, & ſanguis martyrum factos eſt ſemen Chriſtianorum. Natus eſt Chriſtus 25. Decembris, media nocte, habebat igitur in aſcendente 3. Libræ, & in nona Geminos, Religionis ſuæ aſcendens; ſic figura particularis reſpondet vniuerſali. Signum hoc aëreum, & domus Mercurij, probat quod videmus, nullam vnquam in mundo fuiſſe Religionem, ita ſcientiæ, ſpeculationi, ratiocinationi, diſputationi & controuerſijs deditam, quia Mercurius habet domos ſuas ex quadrato hoſtili ſe reſpicientes. Gemini ſignum aëreum Occidenti præſidens ſignificat Religionem hanc in Occidente maximas vires habituram, & illic propagandam.

Conſtituendo indicem volubilis circuli in 1. Geminorum, & anno mundi 3972. Ex tranſitu hoc poteſt fieri generale judicium. Saturnus in ſeptima domo conjugij, Religionis hujus miniſtris indicit cœlibatum. Tranſitus Iouis per Saturnum & Martis per Iouem æquiualet maximæ trium ſuperiorum planetarum conjunctioni; maximamque ſignificat in Religione mutationem. Iupiter accedens ad Saturnum, indicat hujus Religionis profeſſores vltrò quæſituros paupertatem, aduerſa, etiam mortem; præclarumque apud illos videri ſic occumbere. Decima cum Sole Marte, Mercurio, veniens ad Iouem, promittit Reges, bellatores, mundi ſapientes, pietati colla ſubmiſſuros. Vndecima cum Venere tranſiens per decimam, deſignat quòd ipſa Religio futura ſit conciliatrix Regum, & quod ſuum erit inter illos fœdera ſancire.

SECVNDÆ CIRCVLATIONIS.
ſeu à Chriſto.

DOMVS PRIMA.

ANNIS præcedentibus, & paulò ante Chriſtum natum, nationes omnes, varijs ex cauſis augurabantur magnam rerum mutationem: Iudæi ex defectu Regiæ ſtirpis, Romani ex innumeris prodigijs, quæ vide apud Baronium; altaque pax orbis ſub Auguſto videbatur ſimilis tranquillitati quæ ſolet præcedere magnos terræ motus. Nouum cœlum, nouam terram, noua omnia promittebant Prophetæ: ſperatus ille fœlix rerum ſtatus, & in melius reuonatio non apparuit ſtatim à Chriſto nato, & toto tempore duodecimæ domus; imò res in pejus videbantur cedere, cùm ſæuirent vbique tyranni in Chriſtianos; cùm legiones integræ, cùm vrbes, & millia millium hominum vltrò ſe morti pro fide Chriſtiana objicerent. At cum mundus perfecit profectionem ſuam, factuſque eſt reditus ad primam domum, tunc verè innouata ſunt omnia: Vt Ioſue præcepit Solem ſtare, nec ſtatis horis occidere, donec hoſtes deleret, ſic inquit Origenes homil. 11. in Ioſue, ex quo aduenit ſaluator, finis erat iam mundi, ſed retinuit & repreſſit diem conſummationis & adeſſe prohibuit, propter futuram ex ipſo ſalutem gentium, & de poteſtatibus tenebrarum, victoriam: Religio quidem Chriſtiana futura erat cauſa ſperati boni; ſed in duodecima domo, velut in matris vtero formatur, in vinculis, in ſordibus, in doloribus, & connulſionibus illam parturientis Eccleſiæ, per nouem aut decem circiter magnos menſes, magni anni mundani: donec videtur in lucem edita, cùm Conſtantinus Imperator factus eſt Chriſtianus: tunc enim Chriſtianæ Religioni ſumma conceſſit priuilegia; Idololatriam ab initio ferè mundi regnantem prohibuit; Idolorum templa, aut ſubuertit, aut Chriſtiano more expurgauit, & dedicauit: denique ſedem Imperij tranſtulit Conſtantinopolim, cùm occurrit quadratus Solis, Martis, Mercurij, & vrbis Romæ. Cenſorinus de die natali cap. 14. in fine, dicit ex antiquis augurijs, & duodecim vulturibus quæ Romulo apparuerunt in vrbe condenda creditum eſſe eam ad mille & ducentos annos peruenturam. Hoc videbatur verum tempus mundanæ reſtitutionis vnde dæmones ante illud à Chriſto vexati conquerebantur, cur veniſti ante tempus torquere nos. Religioni tunc fauebat occurrens trinus Iouis & ſextilis Veneris: & ipſe Mercurius hujuſce domus fridarius, quadratus tamen Martis infenſi Religioni, ſignificauit Arianos tunc Eccleſiam oppugnantes, & Chriſti diuinitatem inficiantes.

Anno 420. in 7. Cancri incipit Regnum Galliæ à Pharamondo; in ſigno aqueo natum, habuit olim pro inſigni aqueos bufones, nunc lilia, flores aquis gaudentes & albos; militeſque ſui, albo diſtinguntur colore. Naſcitur in termino Martis quo bellica fortitudo ſignificatur. Splendorem hujus regni, & per totum orbem aliquando diffundendum imperium, ex eo conijcere licet, quòd ferè parem habet cum mundo in ſignorum & planetarum poſitione natalem. Varias tamen patietur mutationes propter domum Lunæ in Horoſcopo exiſtentem, & alia ſigna mobilia cardines occupantia. Sed ad inſtar mundi vt diximus in ſeptima, ex ſuis reſurget cineribus, maliſque ſuis fiet illuſtrius, & tunc vegetius, cùm poproſtratum putabitur.

Anno Chriſti 623. in 12. Cancri, Mahomet promulgat ſectam ſuam. Naſcitur; cum corde Leonis de natura Iouis & Martis; quo ſignificatur falſa quidem Religio, propter Martem; ſed ſplendida, bello potens, & maris velut domina. Hic gradus Cancri eſt terminus Iouis, vnde ſe puriſſimos

Google

eſſe Dei cultores jactitant. Si ſumantur termini ſecundum Ptolomæum eſt terminus Veneris, quæ etiam eſt juxta apicem cœli, in figura particulari, vnde fit vt apud eos dies Veneris ſacer ſit, ſicut apud Iudæos dies Saturni, apud nos Chriſtianos, dies Solis. Venereis etiam plurimum ſunt addicti, ſolique ferè nunc ſunt in orbe populi, qui polygamiam admittant. Tunc decima domus quæ eſt Imperiorum, tranſit per caput Meduſæ: malum imperantibus, & potiſſimùm Romæ portenditur.

SECVNDA DOMVS.

ANNO 742. incipit regnum Hiſpaniæ ab Alphonſo Catholico, in 2. gradu Leonis. Ineſt Hiſpanis generoſitas, Imperij quærendi & propagandi fera quædam auiditas à Leone ſigno igneo, domo Solis, & in vniuerſi figura, vt diximus, quæſitas poſſeſſiones ſignificante. Id promittere videtur trinus Martis, Solis, Mercurij, & Sol eorum diſpoſitor in decima. Iupiter qui paulo antè tranſiuit per Martem, & Solem in decima, & Saturnus per Iouem in nona ſignificat ſplendidàm & pertinacem, licet non tam ſinceram Religionis profeſſionem. Ineſt illis grauitas propter decanatum Saturni. In Leone nati, habent Leonem pro inſigni, & cùm ſit ſignum igneum, habent rubrum pro colore. Deſine mirari, ſi nunquam moribus, rarò fœderibus Galli & Hiſpani conueniant; nati ſunt enim Galli ſub ſigno aqueo, Hiſpani ſub igneo, quæ totis ſuis pugnant qualitatibus: Aqua patitur quidem ab igne, ſed latentis formæ vi, ſuis ſe reſtituit natalibus; & dum vexat eam ignis, effunditur, ignemque extinguit non rediturum, teſtis eſt Ægyptiorum Canopus de Perſarum igne victor. Quædam tamen fœdera, licet non conſtantia, ſignificat Luna hujus domus fridaria.

Anno Chriſti 801. incœpit Anglia ab Egberto, in 7. Leonis, termino ſecundum Ptolomæum, Mercurij, qui varietatem ſignificat, vnde habet Leopardum maculis varium pro inſigni; ingenteſque ſemper patietur varietates, in Religione & in Regimine; hæc prima facies Leonis eſt Saturni, crudelitatis, violentiæ, audaciæ.

Anno 844. incœpit Ducatus Lotharingiæ in decanatu Iouis, & termino Veneris, quod ſignificat homines pietati, ſed ſimul & magis ſenſuum voluptatibus deditos. Fœlix olim Prouincia, nunc vltimis bellis vaſtata, propter cauſas quæ deſumendæ ſunt ex eius figura ſingulari; & ex eo quòd nunc mundus decurrat gradum 18. Libræ in quo eſt eductio colli ſerpentis de natura Saturni & Martis, eadem maligna conſtellatio per hæc quæ ſcribimus, tempora, tranſit per oppoſitionem Letharingiæ in 8. domo mortis, & caput Meduſæ per eius radicem. Quæ ſignificare videntur maximas clades, & exterminium.

TERTIA DOMVS.

IN tertia domo, quæ ſignificat peregrinationes, eſt Virgo, domus Mercurij. Si huic loco apponas indicem rotæ volubilis videbis tunc Saturnum tranſeuntem per decimam, Imperiorum domum, & infeſtantem in ea cum Sole & Marte exiſtentem Mercurium, ſigni Virginis, ad quod mundus peruenit, diſpoſitoris. Tunc etiam imperia tùm Orientis, tùm Occidentis periculoſas paſſa ſunt conuulſiones; In Oriente Iſacius Commenus mouet bellum contra Michaëlem Imperatorem, eumque cogit exuere purpuram, quam Iſacius obtinet; biennio poſt moritur, & poſt eius mortem graſſantibus Barbaris acciſum eſt imperium, ait hiſtoricus: Imperio ſuccedit Conſtantinus Ducas, quo poſt 7. annos mortuo, vidua eius Eudocia nupſit Diogeni Romano, qui paulo poſt in Turcarum venit poteſtatem. Per idem tempus Turcæ Perſarum Regem vincunt, & Perſidem

ccupant. In Occidente, incœpit regnare Henricus III. hoſtis Eccleſiæ Romanæ, nam ſub eo ſchiſmatico deficiunt Saxones. Circa idem tempus in Gallia Henricus I. patitur bellum ciuile à Principibus. In Polonia Caſimirus ex Monacho Cluniacenſi Rex factus eſt, Sole, Marte & Mercurio in 10. tunc tranſeuntibus per 1. Gemini, radicem Chriſtianæ Religionis.

Anno 1086. Deſiderius Abbas Caſſinenſis eligitur Papa omnium votis; tunc etiam cœpit habitari Carthuſia juxta Gratianopolim & ſolitudo in honore haberi, Satnrno ſolitudinis authore, tunc tenente medium cœli. Malè tamen affecit Romam ibi natam quæ obſidetur ab Henrico Imperatore. Affligitur etiam Eccleſia à Turcis, quia mundus peruenit ad quadratum Religionis Chriſtianæ.

In hac domo quæ eſt fratrum factæ ſunt plures confraternitates Religioſæ. Nam an. 1181. inſtituitur Ordo Carmelitarum. Paulò poſt Ordines S. Franciſci & S. Dominici confirmantur.

Anno 1345. & ſequentib. cùm Horoſcopus mundi peruenit ad arctutum, magnæ ſunt in toto orbe calamitates quas deſcribit Iunctinus lib. de reuolut. anno. mundi, tunc Saturnus tranſibat per caput Meduſæ.

QVARTA DOMVS.

ANNO 1440. inuenta Typographia, in Antiſcio Mercurij & Solis, & corpore Lunæ in domo Veneris, exaltatione & termino Saturni; pulchram, facilem, celerem, ſplendidam & durabilem hæc ſignificant litteraturam. Et quidem in quarta cœli domo qnæ reſpondet quartæ diej creationis mundi, cum luminaria creata ſunt, & cum Luna incœpit lucere inferiori Hemiſpherio: tunc etiam Sol & Mercurius tranſibant per Horoſcopum: Nam ars impreſſionis, ſic ſcientias propagauit, vt iure cenſeatur lucem mundo dediſſe. Propagatur etiam fides Catholica ſub Ioue magni hujus orbis domino.

Circa hæc tempora naſcitur Americus Gennenſis, publico potius orbis, quam priuato ſuo fato, ad alterius Hemiſpherij luſtrationem & inſtitutionem datus, mundo tunc decurrente ſignum Libræ, mobile, legiferum, alterius Hemiſpherij apicem: incœpit peregrinationem ſuam ſub radijs Lunæ, & in termino Mercurij, an. 1497.

Hanc quartam domum jam mundus decurrit, peruenitque ad 18. gradum Libræ in quo eſt eductio colli ſerpentis, de natura Saturni & Martis, & hæc mihi videtur cauſa cur ferè totum per orbem populi moueant ſeditiones contra ſuos Principes & ab ipſis deficiant, quia nunc regnat Libra, ſignum populare, quod initio mundi erat in imo cœli, oppoſitum decimæ quæ ſignificat imperia, cum Sole, Marte, Mercurio; occurrens eductio colli ſerpentis, repens vulgus commouet, & ſurgere facit contra Rectores. Proximan tamen pacem promittit, terminus Veneris, & decanatus Iouis occurrens anno 1680.

Erigendæ ſunt figuræ ſingulares Regnorum & legum, conſtituendo in Horoſcopo, gradum, in quem incidit eorum initium in figura vniuerſi: Modum erigendi tales figuras, infra dicemus. Ex hac autem figura vniuerſali fit judicium mali in regnis, ſi quadrati eorum aſpectus ant oppoſitiones incidant in currentem mundi annum, aut ſi per illos, vel radicem, infortunæ tranſeant; contrà bonum promittunt fortunæ per eandem radicem, aut bonos aſpectus tranſeuntes. Hîc pauliſper ſubſiſte Lector, & obſerua; quod ſicut in morbis, Luna criſim efficit, cum peruenit ad qnadratum eius gradus in quo erat initio morbi; maximè ſi qnadratus ille incidat in ſignum duabus qnalitatibus contrarium: in alijs criſis non fit, niſi in eo loco ſit corpus aut fœlix aſpectns fortunæ. Similiter in figura vniuerſi, quadratus ſunt longè magis efficaces, qui reperiuntur in ſignis duabus

qualitatibus

qualitatibus ſibi contrarijs. Et hæc breuiter dicta reuelant tam celebre, nec ſatis adhuc expoſitum criſis myſterium. Id exemplis patebit : Iudæi pœnè deleti ſunt cum mundus peruenit ad eorum quadratum in primo Tauri, ſaluati tamen ſunt per Venerem ibi exiſtentem, quæ ſignificauit Eſther Reginam, ab Aſſuero gratiam hanc amore reportantem. Deletum eſt templum Hieroſolimitanum, cum ventum eſt ad eius quadratum in 7. Geminorum, anno Chriſti 72. Facta eſt Romani Imperij tranſlatio, cùm occurrit quadratus eius in fine Geminorum. Mahomet natus eſt in oppoſitione Moyſis in 22. Cancri : eſt enim verus hoſtis Iudæorum, cùm eorum terram & templum occupet, eoſque habeat in ſua patria ſeruos. Dum mundus peruenit ad quadratum religionis Chriſtianæ in 1. Virginis anno 1080. ſchiſma Græcorum inualeſcit, aliud ſchiſma per Guibertum: plures tunc oriuntur hæreſes, ad quarum confutationem plures etiam ſequentibus annis inſtituuntur ordines Religioſi; Nam hujus quadrati vis malefica corrigitur ex eo quod idem eſt diſpoſitor, qui originis, Mercurius, in corde Solis, & decima optimè conſtitutus. Dum occurrit quadratus Galliæ in 5. Libræ an. 1500. Naſcitur in ea Caluinus peſſimæ hæreſis autor, & tot bellorum ciuilium cauſa. Inſtauratur vrbs Conſtantinopolitana à Conſtantino anno Chriſti 330. in 28. Geminorum. capitur à Turcis an. 1440. dum mundus peruenit ad eius quadratum in 28. Virginis.

Similiter caput Meduſæ tranſiens in figura vniuerſi per radicem regnorum aut legum magnas illis infert calamitates. Verbi gratia dum occurrit in Imperio Romano ab vrbe condita an. 243. mutatur regimen regium in Ariſtocraticum. Imperium Romanum cœpit à Iulio Cæſare in 27. Tauri. Tranſlatum eſt ad francos an. 800. in 7. Leonis cùm Algol tranſit per 27. Tauri. Anno 830. magna perſecutio in Eccleſia ab Iconoclaſtis, cum Algol tranſit per 1. Geminorum radicem Chriſtianæ Religionis. Tranſiens per originem Galliæ. an. 1269. Galli infœlicem aggrediuntur expeditionem contra Turcas in qua S. Ludouicus Rex moritur. Dum tranſit per radicem ſectæ Mahometanæ circa annum 1440. infert illi maximas clades per Scanderbech & Ioannem Huniadam Duces Chriſtianos. Dum tranſit per originem Hiſpaniæ circa an. 1572. Holandi ab ipſa deficiunt. Denique per radicem Angliæ an. 1649. ſignificauit principes capite plectendos; ſic & excidium proximum minatur Lotharingiæ. Hæc & alia ſi perpendas, LECTOR, & Imperijs ordine ſuo mala venientia, agnoſces non vanam eſſe obſeruationem cœlorum, ſic regulariter cum diuinæ prouidentiæ decretis concurrentium.

Si de futuro jam aliquid inquiris, conſule ſpeciales figuras regnorum. Generaliter dici poteſt, timendum orbi diluuium anno 2160. quia cœlum eſt in eadem diſpoſitione, quam habebat tempore primi diluuij; Saturnus enim peruenit ad Horoſcopum in primo Cancri, & ipſe Horoſcopus ad ſextam ægritudinis; ſi procedas contra ordinem ſignorum, erit cum corpore Saturni in octaua.

Hanc circulationem ſolitò latiùs ſparſis oculis obſerua, LECTOR, deſcribitur factus mundus ſex diebus. Per ſex magnos annos durauit vſque ad diluuium: per ſex alios magnos annos, vexatus Idololatria, tyrannide, vitijs innumeris; reſtituitur, cum ventum eſt ad duodecimam in qua naſcitur Chriſtus. Quid ni ſexta pars altera, ſub finem, iterum diluuio deleri metuat, poſtquam mundus impleuit menſuram iniquitatis ſuæ in Scorpione, domo Martis, ſigno violento, lubrico, procliui ad impietatem & vitia quæ regnauerunt tempore diluuij. Non tamen ſine ſpe reſtitutionis, quam promittit Luna cum Ioue; & Sol incipientis alterius magni anni dominus. Ex præteritis de futuro judicandum, cùm perpetuus fiat in ſimilia reditus, exceptis fridarijs ſeu dominis magnorum orbium.

TERTIA PARS.

IN QVA SVNT FIGVRÆ QVÆDAM PARTICVLARES LEGVM ET IMPERIORVM.

AD LECTOREM.

MINVS nos mouent vniuerſalia, quàm ſingularia, hæc enim magis ad nos ſingulares accedunt, & implent affe-ctus, qui ſemper circa quid determinatum verſantur; ſic vniuerſalis cognitio, eſt quoddam rudimentum co-gnitionis particularis, in quam tendit velut in finem, & ad aliquid vt magis diſtinctum, ita magis perfectum. Ideò poſtquam expoſuimus fatum vniuerſi, ipſe rerum ordo & tua, LECTOR, curioſitas poſtulat, vt expendamus naſcentium legum & imperiorum ſingulares figuras. Non eſt hîc opus attentionem exordio con-ciliare, ſatis ſe commendat, mentes & oculos in ſe trahit tàm mirabile ſpectaculum, in quo priuatæ ſpeculantium curioſitati publica conſentit vtilitas. Sed hoc opus, hic labor eſt. Conſtat enim, regnum, vrbem, le-gem, non naſci ad inſtar ſingularis perſonæ, certâ die & hora, in qua fieri poſſit, ſignorum, planetarum, domorum apta conſtitutio; ſenſim hæc ma-gna ciuilia corpora ſe proferunt in lucem, progreſſu, cui obſeruando vnica ſæpiùs hominis ætas non ſufficit, & ſemper ſie moras trahente, ſic intentos etiam vultus fallente, vt eorum initium, vix ad certum annum, multo mi-nùs ad menſem, diem, horam, minutum poſſit reduci. Quòd autem Gau-ricus originem populorum, ad prima præcipuæ illorum ciuitatis jacta fun-damenta referat, non videtur rationi conſentaneum; non enim ſaxa & ędi-ficia, ſed habitatores, ciuitatem conſtituunt, vt ait D. Hieron. ſuper Math. cap. 23. & Ariſtoteles 3. Politic. cap. 6. Ciuitatem, inquit, efficit, non eiuſ-dem loci habitatio, ſed lex quæ eſt conuentum & quaſi ſtipulatio inter ci-ues, vnde eadem cenſetur eſſe etiam inter loco diſtantes. Sanè & tam ab-ſurdum eſt habitatores à ciuitate, quàm perſonam à domo ſua, ab alijs oc-cupanda, aut ruinam paſſura, æſtimare; dominus domui, & populus ciui-tati ſuæ poteſt eſſe ſuperſtes, nec populorum conditio mutatur, quoties po-mœrium coërcetur, profertur, hoſtium incurſione deletum, aliò transfer-tur. Erat populus Romanus, etiam dum in ſacrum montem extra mœnia ſe-ceſſit; ſunt Galli, etiam extra patriam, gentis ſuæ, non diuerſarum vrbium vnde ducunt originem, fato victores; erat populus Venetus conſtitutis ſibi jam legibus & Magiſtratibus quibus parebat, antequam jaceret vrbis ſuæ fundamenta; ſunt iſtis etiam nunc temporibus, ſuo jure, genio, nomine diſtincti populi, Hunni, Tartari, & alij permulti, licèt ſine territorio, ſine ciuitatibus in tentorijs habitantes: In hoc ciuili compoſito non vrbs, ſed populus eſt loco materiæ, qui autem imperat, Princeps, aut ſub lege magi-ſtratus, formæ, animæque vicem obtinet. Populum igitur conſtituit, non murus, ſed lex, communis Reipublicæ ſponſio. vt dicitur l. 3. ff. de legib.

Digitized by Google

Sicut ſocietatem efficit, non domus in qua inita eſt, ſed jus quod ſibi mutuò
ſocij dixerunt. Sanè ſi quod populis fatum à cœlo, illnd largitur immedia-
tè, non per lapidum ſtructuram, huic enim peruerſo rerum ordine, nobi-
les, luce, mobilitate cognatas ſibi mentes alligari foret inconuenientiſſi-
mum; quis credat Rempublicam pendere à muris & ędificijs, cùm illis op-
timè ſtantibus miſera ſæpius ſeditione concutiatur; aut belli fulmine de-
jectis, fortior in hoſtem inſurgat? quis putet quoties mœnia reſtaurantur,
toties populum ſub diuerſa ſyderum poſitione, nouo ſibi fato renaſci? Non
pendet artifex ab opere, ſed opus ab artifice; non pendet à muris ciuilis
ſocietas, ſed muri à ciuili ſocietate, quæ timens hoſtem lapſos reſtituit, aut
populi numero concordiæque ſuæ viribus fidens, vrbes ſine muris habitat.
Sic Otho populum Romanum alloquitur apud Tacitum 1. hiſt. quid vos pul-
cherrimam hanc vrbem, domibus & tectis & congeſtu lapidum ſtare cre-
ditis; muta iſta & inanima intercidere ac reparari promiſcuè poſſunt; ęter-
nitas rerum & pax gentium, & mea cum veſtra ſalus incolumitate Senatus
firmatur. & Ariſt. 3. politic. 2. Eadem, inquit, remanet ciuitas etiamſi aut
locum, aut gubernandi formam mutet.

Exploſis igitur Gaurici obſeruationibus meritò deſperant Aſtrologi
ſe poſſe regni alicujus conuenientem figuram erigere, & id inter im-
poſſibilia connumerant, ignoto ſcilicet gradu aſcendente, & Horoſ-
copo. Cùm tamen certum ſit, magnas illas in humanis mutationes à proui-
dentia diuina ſpecialiter pendere, & medio cœlorum influxu, velut in-
ſtrumento fieri, pudet Aſtrorum peritos in præcipuis iſtis caſibus cæcuti-
re, & eos magna non videre, qui volunt in minimis etiam haberi perſpi-
caces; propterea diuerſâ à Gaurico ratione, conati ſunt, aliquid in
talibus augurari. Conijciunt Rempublicam, vrbem, legem, ſocietatem,
eſſe ſub dominio alicujus ſigni, ſi diuturnâ ex hiſtorijs experientiâ con-
ſtet, illam toties inſignia quædam damna paſſam, quoties in tali ſigno
factæ ſunt magnæ conjunctiones Saturni & Iouis, aut Eclypſes Solares.
Certè magnum eſt in re tam ardua aliquid tentaſſe, ſed vt verum fatea-
mur, quod videre cupiamus regni fatum, adhuc quæritur, nec inueni-
tur. Nam quamuis ex talibus expertis magnis conjunctionibus aliquod
fieri poſſit judicium, non tamen indè conſtabit, ſub quo ſigno nata ſit
vrbs aut Reſpublica, nec inde notari poteſt gradus aſcendentis, & me-
dij cœli, vt ritè poſſit erigi figura; quia regnum non minùs poteſt affici
ab Eclypſi aut magna conjunctione, ſi fiat in decima, oppoſitione, aut qua-
dratis Horoſcopi, quàm ſi fieret in ipſo Horoſcopo. Sic Lutetia quæ nata
eſt in 23. Piſcium, anno ſcilicet mundi 3140. communiter dicitur eſſe ſub
ſigno Virginis, Piſcibus oppoſito, quia aliquid ſæpius paſſa eſt ab Eclypſi-
bus & magnis conjunctionibus factis in hac ſua oppoſitione; tale ergo
judicium diu pendens, incertum, mutilnm, imperfectum eſt, fallaxque
experimentum ex damnis illatis ab Eclypſibus, & magnis conjunctioni-
bus, quia vim ſuam maleficam explicant, non ſolum in aſcendente re-
gni, ſed etiam in decima, quadratis, oppoſitione, parte fortunæ, & alijs
locis Hylegialibus; nec ex talibus magnis conjunctionibus poſſumus
conijcere, quale ſit aſcendens regni, ſed tale aſcendens debet aliun-
dè cognoſci, vt certum fiat judiciom de magnis illis conjunctionibus,
ſcirique poſſit quibus regnis, quo tempore noxiæ futuræ ſint. Id non
conſtat, & tamen omnes qui de Aſtrologia ſcripſere, magnas mundi
mutationes adſcribunt magnis conjunctionibus Saturni & Iouis, quarum
minimæ fiunt ſingulis 20. annis, & durant vt dicitur per 200. annos in
eodem trigono; Maximæ autem & mouendis magnis rebus magis effi-
caces contingunt in tranſitu à trigono Aqueo in igneum intra annos 794.
Cùm viderem omnes cœleſtis ſcientiæ peritos in hanc ire ſententiam,
ne meum me falleret calculum, conſului quas potui reperire antiquas,

nouaſque Ephemerides, & in illis magnas conjunctiones Saturni & Iouis ſic reperi.

Anno 1504. 10. Iunij in 19. Cancri.
Anno 1524. 1. Februarij in 9. Piſcium.
Anno 1544. die 25. Septemb. in gradu 28. Scorpij.
Anno 1563. die 26. Octobris in gradu 4. Leonis.
Anno 1583. die 1. Maij in gradu 22. Piſcium.
Anno 1603. die 24. Decembris in gradu 9. Sagittarij.
Anno 1623. die 18. Iulij in gradu 6. Leonis.
Anno 1643. die 25. Februarij in gradu 25. Piſcium.
Anno 1663. die 21. Octobris in gradu 13. Sagittarij.

Hinc patet non eſſe verum quod aſſeritur, tales conjunctiones fieri præcisè ſingulis 20. annis, cum modò addendi, modò detrahendi ſint ſeptem aut octo menſes; non remanere etiam per ducentos annos, in eodem trigono, cùm in propoſita tabula videamus nullo ſeruato ordine & aliquando intra 20. annos tranſitum ab vno trigono in alium. Hæc inæqualitas procedit ab obliquitate Zodiaci, & deferentis planetæ; ab eorum etiam directionibus, & retrogradationibus: qui motus cùm ſint penitùs inter ſe varij, non efficiunt conjunctiones certo & determinato ſibique ſemper pari tempore. Fallax eſt ergo judicium quod ſumitur ex magnis conjunctionibus, habita ratione medij motus, & hinc ſæpiùs contingit inſignis error. Exempli gratia magna conjunctio quæ proximè continget anno 1643. notatur in tabulis medij motus in Ariete trigoni ignei, & tamen fiet in Piſcibus trigoni aquei, & ſigno duabus qualitatibus Arieti contrario, vnde contrarium etiam ferri debet judicium: qualiter fieri debeat, infra dicemus: ſufficiat hîc oſtendiſſe, ex illis magnis conjunctionibus potiſſimùm conſideratis ratione medij motus, inferri non poſſe ſub cujus ſigni aut planetæ dominio ſit lex aut ciuitas. Igitur relicta, qua cæteri aberrant via, nouam methodum erigendi figuras, regnorum, vrbium, legum tentauimus, & hanc nos putamus à Deo precibus obtinuiſſe. Inuentum proponimus, tuum eſt, Lector, ex his quæ ſubijciemus exemplis, alijſque, quid habeat veri & ſolidi, probare.

Suppoſito, quod expoſuimus mundi themate, itaut primus gradus Arietis ſit in eius decima; primus Cancri in Horoſcopo; cæteræ domus ſint æquali modo diſpoſitæ, quarum vnaquæque valeat 360. annos, & quilibet gradus 12. annos. His ita poſitis, ſi velis noſſe fatum alicujus regni, ejuſque figuram erigere, obſerua quo anno ab hiſtoricis dicatur inceptum, ſeu ante, ſeu poſt Chriſtum; tùm vide in quem gradum Zodiaci figuræ mundi incidat hic annus; talis gradus erit Horoſcopus tui regni: Verbi gratiâ docent hiſtoriæ Galliarum regnum incœpiſſe à Pharamundo anno Chriſti 420. Hunc annum in figura vniuerſi video reſpondentem gradui 6. Cancri. Ita conſtituo 6. Cancri, Horoſcopum Galliæ, & cęteras domos æquales. Vix in talibus contingit error, & lento regnorum proceſſui conſentit hæc methodus, quia quilibet gradus valet duodecim annos: tales inducias, & tot multiplicatos dies, ad inſignes illos partus emittendos, laborans natura poſtulat. In ſpecialibus illis regnorum figuris conſtituuntur planetæ in eodem ſigno & gradu in quo erant initio mundi, vt durante totius hominis vita, attenditur ejuſdem figuræ ſtatus qui fuit ipſo naſcente, & ſeu in reuolutionibus, ſeu in electionibus, habetur ſemper ratio radicis.

Diximus maximæ mundi durationi conuenientes eſſe magnos annos, qui ſunt ſinguli 360. annorum noſtrorum Solarium, cùm autem leges & imperia non ſint tàm diuturnæ durationis, ſed ad inſtar hominum habeant ſuos ætatis gradus, pueritiam, virilitatem, morbos, mortem denique, ſed majoribus quàm nos interuallis; eorum anni debent annis mundi

mundi eſſe minores, noſtris autem majores. In talibus itaque, legum, vrbium, imperiorum figuris, conſtituimus ſingulas domos profectionis, contra ſeriem ſignorum eſſe 150. annorum Solarium. Vt appareat quæ ſit proportio talium annorum, cum magnis annis mundi, ſupponendum eſt quod diximus in noua methodo, Zodiacum olim diuiſum fuiſſe tantum in 60. partes, & ſpatium vitæ in totidem annos, itaut his expletis iteretur vt priùs circulatio: his ita poſitis aduerte, quòd ſicut in figura vniuerſi, quilibet gradus valet 12. annos communes, ideſt integrum omnium domorum figuræ particularis decurſum per profectionem, quæ abſoluitur duodecim annis; ſic in figuris legum & imperiorum quilibet gradus valet 5. annos, quot valet quælibet domus ſecundùm nouam quam aperuimus methodum procedendo contra ordinem ſignorum, quaſi regnum ſit parua pars mundi, & habeat eam ad totum porportionem, quam habet vnum ad duodecim.

Ille gradus legum & imperiorum, valens quinque annos Solares, ſignificat ipſum met luſtrum, olim creditum regnis fatale; vnde ſingulis luſtris Romani vrbem inſtaurabant ſolemnibus ſacrificijs & votis, vt rem Romanam, vrbes, fines, aquas Dij ſeruarent incolumes, proſperos ſucceſſus darent, dubijs conatibus adeſſent, mala auerruncarent, etiam voto in ſequens luſtrum promiſſo: ita per vrbem cœtus omnia ſacer, cum patribus & plebe, publicaque precatione procedebat. Nam cum ſingulis luſtris neceſſariam præſentirent fato faciendã mutationẽ, reſque innouandas, fœlices à dijs hac inauguratione precabantur. Sic quinto quoque anno Græci celebrabant ludos olympicos, quod tempus olympiadem dixere, itaut per olympiades annorum tempora dinumerarent. Vt refert Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 8. & 27. Mercatores etiam rerum minimarum pendebant ſingulis luſtris Imperatori aurum luſtrale: vt patet lib. 11. cod. tit. 1. de nauicular. l. 1. & ibi Cujac. Iure Canonico præcariæ conceſſiones de quinquennio in quinquennium renouantur. cap. 1. de præcarijs. Hæc dicta ſint vt appareat non ſine cauſa, in figuris regnorum quemlibet gradum valere 5. annos. Sed quoniam intra tale tempus varia ſolent incidere, vt ea diſtinctius poſſis augurari, quodlibet luſtrum, ſeu quemlibet gradum, tribue vni domui tuæ figuræ, primum gradum primæ domui, ſecundum ſecundæ, tertium tertiæ, & ſic de reliquis continuata circulatione; fiatque judicium, pro natura domorum, ſignorum, planetarum, fixarum, ſic ordine ſuo luſtris dominantium. Ita quælibet domus valens quinque annos, diuidatur in quinque partes, vt vnicuique anno ſua tribuatur.

Quod autem in figuris regnorum proceſſus fieri debeat contra ordinem ſignorum, probant experimenta; & ſi ratio quæratur alia non apparet, niſi quòd diuturniores mundi profectiones fiunt juxta ſeriem ſignorum, & imitantur motum proprium planetarum, tardiorem: At rerum ſingularium profectiones, quia ſunt celeriores, imitantur quotidianum motum primi mobilis, ab oriente in occidentem, & cum regna ſint in genere rerum quæ incipiant & deſinunt, ſeruant eundem quem homines procedendi modum, vt expoſuimus in noua methodo.

His quæ nunc diximus, de erigendis regnorum figuris, lucem afferent, omnemque ſoluent difficultatem, propoſita in ſequentibus exempla, & hinc patebit, non innocenter tantùm curioſam, ſed vtilem, neceſſariamque rectoribus eſſe fati regnorum inquiſitionem, vt imminentia mala adhibitis ciuilibus remedijs vitentur; vt dilecti fugiant à facie arcus; vt ſaltem præuiſa tela minus feriant; vt oportunum rebus agendis tempus eligatur, cœlo ob id nobis à diuina ſapientia in ſignum poſito; vt profutura à nocitis diſcernantur; potiſſimùm, vt ad regimen conuenientes eligantur miniſtri. Obſeruatum eſt enim à Ptolomæo & alijs, eos fœliciores fore regni alicuius miniſtros, qui cum tali regno conformem magis habuerint geneſim, ſimilemque ſignorum & planetarum in angulis poſitionem, ſiue attendatur

generale fatum regni; ſiue ſpecialis figura quæ erigitur initio regiminis ſeu electione, ſeu ſucceſſione delati: generalia tamen particularibus præualent. Sic purpuratus Galliæ miniſter, de quo in ſortis noſtræ expoſitione loquuti ſumus, fœlix & potens eſt, quia habet in horoſcopo ſecundum gradum Scorpij, quod quidem ſignum eſt ejuſdem trigoni aquei cum Cancro, in quo nata eſt Gallia, & quod mirum eſt, ſecundum hunc gradum propè trigonum ſuum Gallia decurrebat, cum hic homo in miniſterium aſſumptus eſt, ſuiſque conſiliis res fœliciter promouit. In hac geneſis conformitate conſiſtit quæ dicitur bona fortuna, quam ignorans vulgus celebrat, ſed ſolus ſapiens nouit, & cuius congrua ſua electione, fit peritus artifex.

Erectâ, vt diximus, regni figurâ, de magnis conjunctionibus Saturni & Iouis facilè feres judicium, & quid portendant minenturque, prædices. Vt in ea quæ proximè continget an. 1643. die 25. Febr. hora 7. matut. 30. min. in 25. Piſcium. Erige figuram modo quem expoſuimus in noua methodo, & ad hoc vtere figurâ 2. ad erectionem particularis thematis paratâ; & quia hæc magna conjunctio vſque ad proximè futuram, durabit per 20. annos & 8. circiter menſes, diuide circulum ſuperius in totidem annos & menſes; decima domus ſeu apex cœli, erit primus gradus Capricorni; prima ſeu Horoſcopus erit 1. gradus Arietis. Ab hoc gradu ſi procedas contra ordinem ſignorum à 25. Februarij, poſt tres circiter menſes, ſcilicet menſe Majo occurrit ipſa conjunctio Saturni & Iouis in 25. Piſcium in duodecima, quæ funeſtat Galliam inſignium Principum morte, quia ſignum illud eſt illi ſympathicum. Potiſſimum Lutetia, quæ nata eſt circa hunc gradum, patietur aquarum inundationes & multa mala anno 1648. cum occurrit quadratus Saturni & Iouis in fine nonæ domus, eodem loco in quo ipſa Lutetia nata eſt, vt apparet in figura vniuerſi; bellum externum inualeſcet in eorum oppoſitione anno 1653. malum etiam minatur an. 1658. in alio quadrato. De alijs fiat judicium pro natura occurrentium, domorum, planetarum, & eorum aſpectuum. Ex hac magna conjunctione licet augurari magnam in rebus mutationem, quia fit tranſitus à ſigno igneo in aqueum: præcedens enim conjunctio facta eſt an. 1623. in 6. Leonis. Cùm fiat in domo Iouis, & ſigno muto, ſignificat occultas, ſcriptis potiùs quàm verbis de religione diſceptationes: præualebit tamen Iupiter in domo ſua, & dominus nonæ, etiam vi armata, propter Sagittarium in duodecima & domo Iouis, prætextu religionis diſſociabit amicos, ſociabit inimicos. Simile fiet judicium in alijs magnis conjunctionibus, dum tamen ſomantur non ratione medij motus, qui vt notauimus, fallax eſt, ſed collecto vero motu ex Ephemeridibus, aut habito exacto calculo, ex tabulis.

Hæc experire, LECTOR, gratiſſimum erit videre regnorum præcipuos fœlices aut infœlices caſus, occurrentium ſignorum & planetarum proprietatibus reſpondentes, ſalua ſemper Religionis & fidei majeſtate, cui, vt diximus, nihil obſtat quin aſtra conſentiant, & ſint diuinæ prouidentiæ, aut in malis vindicandis inſtrumenta, aut in bonis conferendis velut Sacramenta. Magno animo, æterniſque ſpectaculis aſſueto nihil magnum eſt, nec magis ſtupet, ſi ad certos ſyderum aſpectus regna mutentur, quàm ſi Luna creſcente aut deficiente, corpus noſtrum humoribus turgeat, aut vacuetur. Vt autem Regni, vrbis, ſocietatis fatum obſerues, prius neceſſe eſt ſcire annum mundi in quo incœperit; cujus rei gratia hanc præmittimus tabellam, ex probatis authoribus collectam.

Digitized by Google

JNITIA REGNORVM, ciuitatum, congregationum ante & poſt Chriſtum natum.

Anno 2440. Lugdunum ædificatur.
2460. Tedis.
2468. Athenæ ædificantur.
2754. Remi ædificantur.
3100. Regnum Scotiæ.
3140. Lutetia ædificatur.
3231. Roma condita.
3629. Monarchia Græcorum, ab Alexandro.
3641. Regnũ Ægypti, à Ptolomæo.
3646. Moguntia ædificatur.

3960. CHRISTVS.


Anno Chriſti 343. Britannia Armorica.
420. Gallia.
445. Flandria.
452. Venetiæ.
550. Polonia à Lech.
621. Mahomet.
742. Hiſpania.
801. Anglia.
844. Lotharingia.
912. Ducatus Normanniæ.
990. Regnum Nauarræ.
997. Regnum Poloniæ.
1086. Regnum Bohemiæ.
1110. Regnum Portu-Galliæ.
1572. Holandi deficiũt ab Hiſpanis, & democratiam ſuam conſtituunt.

ORDINES Religioſi.

390. Ordo S. Baſilij.
390. Ordo S. Auguſtini.
494. Ordo S. Benedicti.
913. Cluniacenſis.
1000. Camaldulenſis.
1095. Hoſpitalium S. Anthonij.
1092. Cartuſianorum.
1098. Ciſtercienſis.
1099. Ordo S. Ioannis in Hieruſalem.
1113. S. Bernardi.
1120. Premonſtratenſis.
1181. Carmelitarum.
1206. Prædicatorum.
1212. S. Franciſci.
1215. Celeſtinorum.
1264. Redemptionis Captiuorum.
1450. Minimorum.
1528. Theatinorum.
1538. Ieſuiſtarum.
1564. Congregatio Oratorij.

FIGVRA AD ERIGENDVM THEMA CVIVSLIBET REGNI, CIVITATIS AVT CONGREGATIONIS.

Fig. 5.



EXPOSITIO FIGVRÆ:

LONGVM eſſet figuras particulares omnes ære celare, & typis excudere. Itaque vt labori & ſumptibus parcatur, hîc proponimus figuram hanc, cujus ope fatum cujuſlibet regni, ciuitatis, aut ſocietatis facilè deprehendes. Hæc figura conſtat quatuor orbibus, primus, ſuperior, immobilis duos habet circulos, quorum primus oſtendit 12. domos cœli, modo æquali deſcriptas, prima & decima inſignioribus notis deſignantur, quia tranſitus planetarum per illas maximi ſunt momenti. Secundus hujus orbis circulus notat annos originis regni: qui, ſi libuerit vlterius poterunt continuari, & hujus potiſſimum vſus erit in figuris regnorum quæ ſunt ante Chriſtum natum. Orbis ſuppoſitus in quo deſcripti ſunt anni Chriſti, diuiſi per 5. multum juuabit, vt videas tunc currentem gradum.

Secundus orbis mobilis notat annos à Chriſto nato. Tertius orbis eſt Zodiacus cum terminis, faciebus, & ſtellis fixis. Quartus orbis eſt ſimiliter repetitus Zodiacus.

Hoc inſtrumento ſic vtendum, dùm volueris noſſe fatum alicujus regni aut ciuitatis. Quære quo anno ante aut poſt Chriſtum incœperit; cum annum vide in mundi figura vniuerſali, & obſerua in quem Zodiaci gradum incidat. Hunc gradum pone in prima domo cum anno Chriſti dato. Si tale regnum ſit poſt Chriſtum, ſic erigetur figura modo æquali in talibus conſueto; ex planetarum autem aſpectibus domorumque conſtitutione, & ex eorum mutuo & per loca ſignificantia tranſitu fiet judicium. Exempli gratia, ex hiſtorijs diſcimus Galliæ Regnum incœpiſſe à Pharamundo anno Chriſti 420. hic annus in figura vniuerſi incidit in 6. gradum Cancri. Hunc ergo annum Chriſti 420. & pariter gradum 6. Cancri conſtituo in prima domo quam deſignat primus orbis, ita vides ſingulas domos modo æquali. Vt figuram ſic conſtitutam contineas in eodem ſtatu, orbi ſecundo & tertio ſuppone parum ceræ inter digitos emollitæ; deinde gradui 6. Cancri in ſecundo Zodiaco appone notam aliquam vt fruſtulum pergameni æneo filo forcipante, & cartæ ſatis firmiter hærente; tùm circulum hunc moue ſecundum annos Chriſti deſcriptos in ſecundo orbe contra ordinem Zodiaci. Ita licebit conijcere euentus, ex natura domorum, planetarum, fixarum; tùm ex eorum mutuo ſuprà ſe tranſitu, maximè ſuprà Horoſcopum & decimam. Figuram hanc ſi volueris habere perpetuam, vt vacet inſtrumentum tuum alijs conſtruendis, poteris eam circino & calamo in carta delineare tibique in ſpectaculum vt veram regni pictam imaginem aſſeruare: aut ſaltem figuram hanc vniuerſalem habe ſemper ante oculos, dum fatum alicujus regni quæritur.

Fato regni, ciuitatis, aut congregationis ſic conſtituto; duo ſunt ſemper obſeruanda, ſcilicet gradum quem decurrit mundus, & quo modo conueniat cum tali regno: nam illi ſemper imminent mala, ſi mundus in figura quam propoſuimus vniuerſali, decurrat eius oppoſitionem aut quadratos; vt ſuperiùs annotatum eſt. 2. obſerua figuram particularem regiminis tunc vigentis: in regnis hæreditarijs erigenda eſt in momento mortis prædeceſſoris: in regnis electiuis in momento electionis. Ex Ptolomæo hîc vniuerſalia præualent ſingularibus, & ſæpius Reges Regnorumque miniſtri non ſuo, ſed regni fato fœlices aut infœlices exiſtunt.

FIGVRA RELIGIONIS
CHRISTIANÆ.
IVDICIVM GENERALE.

CONSTITVENDO 1. grad. Geminorum in Horoſcopo; mutatur diſpoſitio domorum quæ erat in figura vniuerſi: Nam duodecima domus mundi, fit hîc prima; vndecima fit duodecima, & ſic de cæteris. Hæc duodecima, quæ ſignificat hoſtes & carceres dum efficitur prima; innuit Religionem Chriſtianam, ex majorum ſuorum carceribus, hoſtibus, ſanguine vitam habituram. Domus hæc Mercurij, ejuſque genius in 1. gradu Virginis, domo & termino Mercurij, probat illam præ cæteris Religionibus, ſtudijs, ſermoni, prędicationibus, Concilijs, diſſertationibus, intentam; & hinc Magnates & Principes, imo principatus ipſos ſibi conſiliaturam, quia Mercurius hujus primæ domus diſpoſitor, eſt Soli junctus in vndecima, cum in figura vniuerſi ſit in decima, & cum hæc religio nata ſit in ſextili amico aſpectu decimæ, & vrbis Romæ, cujus dominium Mercurius ordine ſuo debebat obtinere, vt diximus. Hac imbuti Religione, fidem profitentur certam, ſed obſcuram, & intellectum captiuantem in obſequium diuinitùs reuelatæ veritatis. Id ſignificare videtur Mercurius Soli ſemper vicinus, ejuſque radijs ſic tectus, ſic obſcuratus, vt ſeu in Oriente, ſeu in Occidente, etiam in maxima ſua diſtantia vix luceat & poſſit videri.

In ſecunda domo Cancer, animal retrogradè procedens, ſignificat auersâ viâ, & opibus renuntiando, opes quæſituram, & quidem per piſcatores, nautáſque ex aquis viuentes, & auerſa facie in optatum locum, remigio tendentes. Fœcundum ſignum, termino Iouis fœlicius, mobile tamen, & ſub Lunæ mutabilis dominio, innuit quæſitas facultates, nunc amiſſuram, nunc recuperaturam, bellorum impetu, hæreticorum furore, imperantium auiditate, propter quadratum Martis, Solis, Mercurij.

In tertia Leo domus Solis qui eſt in vndecima, & eius trino ſimul Martis & Mercurij irradiata, fœlicitatem promittit in ſodalitatibus, etiam pro Religione bellicis, Regum fauore ſtabilitis: ſignificat etiam ſpleudidas, pietatis cauſa peregrinationes, & magnos ex illis quæſtus, quia hęc domus erat in figura vniuerſi, ſecunda.

In quarta Virgo, & in eius primo gradu genius, oſtendit intentam fore aucupandis defunctorum hæreditatibus, quas affatim obtinebit, propenſis ad id morientium affectibus; quia Mercurius diſpoſitor, eſt Soli junctus in vndecima; licèt id non contingat ſine aliquo pietatis diſpendio, quia Iupiter qui eſt in decima ferit hanc domum ſua oppoſitione, & quia huic Religioni propria videtur paupertas propter Saturnum in nona exiſtentem.

In quinta, Luna in Libra, domo Veneris, trigoni aërej, & quæ vt diximus ſignificat affectus ſpirituales Veneremque cœleſtem, promittit magnam & innumeram fœcunditatem filiorum ſpiritualium, ad inſtar arenæ maris, quod olim Deus Abrahæ pro ſumma benedictione promiſerat. Venus tamen diſpoſitrix in duodecima & in ſigno terreo, minatur rixas inter filios & parentes, ſi pro ſpiritualibus terrena ſectentur.

In Sexta domo ægritudinis, Scorpius, qui in figura vniuerſi fuerat in

quinta, portendit Religionem hanc grauiter laboraturam propter filios, multos quidem ſed degeneres; ſecundùm illud, multiplicaſti gentem, ſed non multiplicaſti lætitiam. Etiam à ſcorpiacis iniquiſſimè multa patietur.

In ſeptima Sagittarius, ſignificat vexationem ab occultis hoſtibus, in priſtinum tamen ſtatum, majori cum ſplendore reſtituetur, quia eius diſpoſitor eſt in decima. Sagittarius ſignum bicorporeum ex rationali & irrationali conſtans, videtur præſignare magnum in nuptijs Sacramentum, vt ſimul cum libidine poſſit eſſe ſanctitas.

In octaua domo mortis exiſtens ea, quæ in figura vniuerſi erat ſeptima nuptiarum, & Capricornus ſignum interciſum, ſignificat hac in Religione nuptias velut ſemiuiuas, Eccleſiæ ſcilicet miniſtris interdictas, cæteris etiam cum intermiſſione permiſſas. Idem innuit in figura vniuerſi Saturnus tunc tranſiens per ſeptimam nuptiarum & oppoſitione ſuâ feriens Horoſcopum mundi, quaſi hæc Religio ſit ex diametro contraria mundanæ & ſenſibus deditæ vitæ.

Saturnus in nona, qui erat in octaua vniuerſi, præſignat Chriſtianam pietatem in ſenſibilium omnium abdicatione, & velut morte poſitam; itaut vltrò profiteantur homines, quod aliàs in grauiſſimam cederet pœnam; videtur temperamentum Iouis, obtinentis apicem cœli, & in locum Martis, Solis, Mercurij ſubſtituti. Incœpit hæc Religio à carceribus & morte, vt dictum eſt in figura vniuerſi, nam Petrus & Paulus Romæ vincti Euangelium liberè prædicauerunt, & tandem ſuo ſanguine confirmârunt.

Iupiter in decima, qui in figura vniuerſi erat in nona, quia pietas verusque de Deo ſenſus attigit ſuum apicem in Religione, quæ eſt bonarum omnium legum impletio: Iupiter occupans locum Martis, Solis, Mercurij, & vbi Roma nata eſt, ſignificat hanc Religionem occupaturam ſedem Imperij Romani, latiuſque & ſplendidiùs pietate, ad id concurrentibus Regum viribus, quàm prius imperium, armis & ſcientiâ populis leges daturam.

Mars, Sol, Mercurius, in vndecima, qui erant in decima, qnid aliud innuunt quàm amicitiam, Ducum belli, Imperantium, doctrina inſignium, ſecundùm illud Prophetæ, erunt Reges nutritij tui.

Venus in duodecima, quæ erat in vndecima, ſignificat amicos, conuerſis in contrarium affectibus, factos inimicos; juxta illud Euangelij tradet frater fratrem in mortem, & inimici hominis domeſtici eius. In hac etiam domo quæ eſt occultorum inimicorum, præſagit mulierum amorem inſidiaturum Chriſtianæ pietati, malum multiplex, & quod maximum eſt, apoſtaſiam à Deo, illaturum. Hæc tamen Religio ſibi ſapienter præcauens, inimicam hanc libidinem, legibus, conſilijs, votis, velut quibuſdam compedibus, clauſtris tanquam carcere continebit.

PARTICVLARE JVDICIVM.

ANNO 33. in decanatu & termino Saturni, & humero Orionis, Chriſtus Ieſus, in cruce quam humeris ſuis tulerat, crucifigitur, ſæuitque perſecutio Iudæorum ſub Saturno; vt diximus, exiſtentium, contra diſcipulos, in duodecima domo carcerum & inimicorum.

Anno 100. & ſequentibus ſæua in Chriſtianos perſecutio ſub Trajano; caput meduſæ tranſibat per vndecimam, & corpus Solis & Mercurij.

Anno 150. in corpore Veneris, domo & trigono potentis. Iuſtinus Philoſophus Chriſtianus, poſtea martyr, obtulit Apologiam Antonino Pio Imperatori pro Chriſtianis; & paulò poſt ab eo obtinet, vt deſinat perſecutio: tunc fit tranſitus trini Iouis, per Horoſcopum: Martis, Solis, Mercurij per decimam & corpus Iouis. In hoc tranſitu Solis per Iouem, decretum eſt Paſcha celebrandum, die Solis ſeu dominica.

Ab anno 175. ad 180. in termino Saturni, vigent plures hæreſes, Montani, Tatiani, Eucratiſtarum, Seuerini, Caſſiani, Bardeſanes, Valentini, Marci, Marcionis; ſeuiuntque tùm Iudæi, tùm Gentiles in Chriſtianos. Nona & in ea Saturnus tranſit per aquilam ſydus procelloſum.

Anno 190. in termino Martis, prodigioſum Romæ incendium, cui vt diximus vrbs iſta fit obnoxia; quia dum nata, eſt apicem cœli obtinebant tres calidi planetæ in ſigno igneo, qui in eius figura particulari ſunt in aſcendente; oppoſitio Saturni tranſibat per canem majorem ardentiſſimum ſydus, & ſiniſter per Orionis per Martem; malum tamen iſtud, Chriſtianis imputatum eſt. Vigent etiam tunc plures hæretici, Theodorus, Theodotus, Opifices, Melchiſedechiani, Praxeas; Seuerus Imperator ſeuerè ſæuit in Chriſtianos: occurrit caput meduſæ tot malorum indicium.

Anno 214. & ſequentibus ſub termino Mercurij, Religionis Chriſtianæ diſpoſitoris, Alexander Imperator Chriſtum colit; eius tamen conſiliarij, inter quos Vlpianus, vexant Chriſtianos, ita variat Mercurius, Marti junctus, & pietati malum permiſcet: decima cum Ioue tranſit per Delphinum ſydus procelloſum.

Anno 300. dum Horoſcopus peruenit ad vndecimam in qua ſunt Mars, Sol, Mercurius, hi tres planetæ videntur explicaſſe vires ſuas, ordine quo ſunt poſiti, nam primo Mars ſæua perſecutione & ſanguinis effuſione vexat Chriſtianos: Conſtantinus paulo poſt obtinet Imperium, & ad fidem Chriſtianam conuerſus, multis præcedentibus prodigijs, an. 312. illam mirè propagat; ita vices ſuas agit Mercurius, in corde Solis, id eſt in intimo Principis affectu. Fœlicitatem illi promittunt omnes planetæ tunc tranſeuntes per ſuos ſextiles. Mars tamen infenſus Religioni hæc fœlicia tempora perturbauit, ſuſcitatis Arianis, qui Chriſti diuinitatem inficiabantur; Præualet tamen Mercurius in corde Solis, nam anno 325. celebratur Concilium Nicænum in qua damnati ſunt Ariani, non ſine magna vtriuſque partis controuerſiâ: Lunâ tunc tranſeunte per cor Leonis, & occurrit lucida Eridani.

Anno 450. floret Religio Chriſtiana, ſub Theodoſio, Valentiniano Imperatore & Pulcheria; Leone ſummo Pontifice. Celebratur Concilium Chalcedonenſe: ſummus Pontifex Romanus declaratur vniuerſalis Patriarcha cum ventum eſt ad corpus Iouis in decima.

Anno 480. perſecutio Vuandalica in termino Martis.

Anno 494. S. Benedictus inſtituit ordinem ſuum, Eccleſiæ multùm profuturum.

Anno 593. naſcitur Mahomet pſeudopropheta, & ſequentibus annis ſectam promulgat, dum ventum eſt ad nonam & corpus Saturni in ea exiſtentis;

exiſtentis; tunc oppoſitio Saturni, tranſibat per vndecimam amicorum; in qua eſt Mercurius, quadratus Martis, Solis, Mercurij per Iouem; Luna cum oppoſitione Solis Martis, Mercurij per Horoſcopum, Saturnus per Lunam quibus omnibus ſignificatur, infenſiſſimus Chriſtianæ Religionis hoſtis. Anno 615. ſub eodem maligno influxu, & termino Martis, Heraclius Imperator vincitur à Sarracenis, à quibus Crux ſancta Chriſti capitur.

Circa annum 750. cùm ventum eſt ad octauam domum mortis, oritur grauiſſima perſecutio Iconoclaſtarum: oppoſitione Saturni tunc tranſeunte per corpus Iouis in decima, & quadrato Saturni per Horoſcopum, & an. 830. Theophilus Imperator Iconoclaſta ſænit in Catholicos cum in figura vniuerſi caput Meduſæ tranſit per radicem Chriſtianæ Religionis.

Anno 900. & ſeqq. cum ventum eſt ad ſeptimam & occaſum; ſequutum eſt vt dicit Baronius ſæculum ferreum, in quo Eccleſia pluribus iactata eſt procellis, quàm ſub gentilibus Imperatoribus. Minabantur occaſum planetæ omnes venientes ad ſuas oppoſitiones, & ſæculo tunc occaſus domum decurrente. Anno 1080. affligitur Eccleſia ab Henrico Imperatore à Guiberto Antipapa & à Turcis lin figura vniuerſi mundus peruenit ad quadratam Religionis Chriſtianæ.

Anno 1050. in ſexta domo ægritudinis, in quam incidit quadratus Saturni, laborat Eccleſia propter maximos progreſſus Turcarum, quorum hoſtilitas deſignata fuit & incœpit, vt diximus, in corpore Saturni, ſic eius quadrati, & oppoſitio ſignificant talis pertinacis, & vix ſuperabilis morbi acceſſiones.

Anno 1130. in termino Iouis celebratur Concilium Stampenſe; & in domo liberorum, ſpiritualiſque vt diximus, dilectionis, floret S. Bernardus, fœcundâ inſtituti ſui prole, multum Eccleſiæ profuturus.

Anno 1200. occurrens Luna in oppoſitione Martis, Solis & Mercurij, ſignificat mutationem in deterius ob auerſas Imperantium voluntates, qui priùs Eccleſiæ fauerant. Tunc enim Fridericus Imp. vexat Eccleſiam, turpiter cum Turcis paſciſcitur, Italiam turbat factione Gibellinorum, & innumerabilium malorum fit cauſa.

Anno 1440. dum mundus peruenit ad trinum Religionis Chriſtianæ, & Iupiter tranſit per primum gradum Geminorum, eius radicem ipſeque quartæ domus currentis habet dominium, celebratur Concilium Florentinum, in quo Græci, Armeni, Indi, veniunt in vnitatem fidei cum Eccleſia Romana, & omnium conſenſu definitum eſt, Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere principatum. *Genebrar.* Id etiam videtur ſignificari ex eo quòd in eadem mundi figura, Horoſcopus peruenit ad corpus Lunæ, quæ eſt figura Eccleſiæ, Chriſti Solis iuſtitiæ radijs effulgentis; tum quia Mercurius, Religioni Chriſtianæ præſidens, peruenit ad primam mundi domum, cum Sole à quo ſplendorem, duminiumque vniuerſale mutuatur.

Anno 1510. in tranſitu à ſigno igneo in aqueum Turcis ſympathicũ, Saturno etiam tranſeunte par Martem, Solem, Mercurium, Turca, qui incœpit Eccleſiæ nocere in corpore Saturni, tunc cùm ventum eſt ad eius oppoſitionem, magnam parat expeditionem in Chriſtianos, & cum Religio Chriſtiana peruenit ad 23. Cancri origmem Turcæ. Rhodus capitur an. 1522. prius anno ſcilicet 1517. Lutherus hæreſim ſuam promulgat. An. 1529. Roma capitur à Carolo Borbonio, intra orbem ſuæ oppoſitionis quæ eſt in primo Libræ. An. 1532. Anglia deficit ab Eccleſia, viget hæreſis Caluini 1544. tunc erat maxima conjunctio Saturni, Iouis & Martis in Scorpione. Hæc malorum ſeries, videtur longa quædam acceſſio morbi Saturnini, Eccleſiam ab ortu Mahomet infeſtantis.

Ab anno 1640. & 1650. decima in qua eſt Iupiter, tranſit per vndecimam, in qua ſunt Mars, Sol, Mercurius fauorem ſignificat Principum; occurrens trinus Iouis in ſecunda promittit Eccleſiæ nouas bonorum acquiſitiones; Venus per Horoſcopum, mulierem tunc potentem; ſed Saturnus cũ nona, tranſiens per corpus in decima, vim habens magnæ conjunctionis, indicat validas tunc pro Religione concertationes, laruam pietatis: Mars, Sol, Mercurius, tranſeuntes per corpus Veneris in duodecima, magnatorum illegitima fœdera, & infenſas Religioni Chriſtianæ coniurationes quæ ipſam vinculis, & carcere cohibeant præpediantque charitatem. Denique concurſus ille Planetarum, & per ſe mutuo tranſitus, magnam & prodigioſam quandam in moribus & opinionibus mixturam ſignificat.

Siſtimus gradum in anno 1640 in quo hæc ſcripta ſunt, & in hac figura alijſque ſequentibus, loquimur tantum de tempore præterito, nam de futuro iudicium periculoſum eſt, quia licet illud humana mens auidè ſitiat, non fert tamen, niſi cùm fœlicia promittit; ſufficiat monſtraſſe methodum, & viam quam quilibet in hac arte vel minimum peritus, facilè poterit ſequi, & ex occurſu vel tranſitu boni planetæ, bonorumque eius aſpectuum, ſecundùm naturam ſignorum & domorum, bonum conijcere, vel contrà.

Digitized by Google

FIGVRA GALLIÆ.

IVDICIVM GENERALE.

DICTVM eſt in figura vniuerſi, Galliæ fœlicitatem ex eo potiſſimùm augurari licere, quòd ferè parem mundo habeat ſignorum & planetarum conſtitutionem, habet enim 6. Cancri in Horoſcopo; hinc ſperatur immortale regnum, cùm ad inſtar mundi omnium rerum ſit ferax, ſibi ſufficiens, & ex ſuis vegetius reſurgat cineribus, malis etiam laborat minùs periculoſis, cùm vniuerſi motus & alterationes ſequatur.

Quatuor ſigna mobilia in quatuor figuræ angulis, & maximè Cancer domus Lunæ in prima, ſignificant maximam morum in victu, veſtitu, opinionibus, vrbanitate, cæteriſque vitæ ciuilis officijs varietatem, & cùm non fiat progreſſus in infinitum, in eadem certis decurſis periodis, continget reditus, dùm antiqua ſub nouitatis ſpecie repetentur. Cor Leonis in prima efficit fortes & magnanimos: ſimiliter gradus 6. Cancri qui eſt terminus Martis.

In ſecunda Leo, cujus Sol diſpoſitor eſt in nona, ſplendidas acquiſitiones, fortè regnorum ſub Leone poſitorum, promittit, & augmentum imperij per expeditiones bellicas fortiter contra exteros ſuſceptas, potiſſimùm causâ Religionis.

Idem ſignificare videtur in tertia Virgo domus Mercurij cum Sole & Marte in nona exiſtentis, magnoſque ex peregrinatione prouentus; quod & promittit ſpica in tertia, ſimiliter Luna.

In quarta, Libra ſignum mobile, portendit in hoc regno hæreditario, defectiones familiarum, variaſque à familia in familiam regiminis tranſlationes, non ſine bellis, propter oppoſitionem Martis: & quia genius ſimul & quadratus Horoſcopi ſunt in 6. Libræ.

In quinta Scorpius ſignum fœcundiſſimum & domus Martis, indicat regnum hoc habiturum multos filios bellicoſos, quorundam tamen perfidiâ periclitabitur, quia Mars diſpoſitor, Mercurio junctus eſt.

In ſexta Sagittarius ſignum bicorporeum, domus Iouis, mixtam ſignificat Religionem, populoſque partim fidei, partim hæreſis ſectatores, quæ potiſſima videtur ægritudinum ſuarum cauſa.

In ſeptima nuptiarum, Capricornus domus Saturni, in eadem ſeptima exiſtentis, & octauæ pariter dominus, malum & huic regno vltimum pœnè excidium minatur propter læſam conjugum fidem.

In octaua Aquarius, alia Saturni domus, Gallos indicat Saturninis, vt Iudæis infenſos, quos etiam ſuis penitùs excludent limitibus. Iupiter vltimam eius domus partem occupans, ſignificat hoc in regno pijs legatis & defunctorum hæreditatibus, diuitem Religionem; periculosè tamen laborabit, quia in nona eſt ſignum Piſcium, cujus diſpoſitor Iupiter eſt in octaua. Sed præualebit pietas, quia Iupiter nonæ proximus ad eam applicat; & quia in eadem domo Mercurius cum Sole & Marte, illuſtrem armis, ſcientiâ, dominatione promittit Religionem. Ipſam ab alijs afflictam, & ſuis pulſam ſedibus, Gallia excipiet hoſpitio, habebitque apud ſe caput orbis; cùm Mercurius, Religionis Chriſtianæ, vt dictum eſt, diſpoſitor, mundo[illegible]es ſuas imperaturus, & in mundi figura decimam occu-

pans, ſit in nona Galliæ. Significat etiam Eccleſiaſticos hujus regni gubernacula non infœliciter moderaturos. Quod amplius licet augurari ex eo quòd naſcente Gallia in figura vniuerſi Iupiter tranſibat per 5. gradum Piſcium, trinum Galliæ, in nona.

In decima Aries, cujus Mars dominus eſt in nona Soli & Mercurio junctus, promittit fœlix bellum opportunè & captatâ electione ſuſceptùm pro Religione. Mercurius cum Sole & Marte ſuâ oppoſitione feriens Lunam in imo cœli dejectam, promittit imperium in Mahometanos; ſignificat etiam mulieres ad hoc regnum obtinendum non admitti; id amplius confirmatur, ex eo quòd naſcente Gallia in figura vniuerſi Luna tranſibat per 6. gradum Libræ, quadratum Galliæ.

In vndecima Taurus, cuius Venus diſpoſitrix eſt in decima, indicat fœdera conjugijs fœliciter ſanciri, & talibus regnum hoc optimè præmuniri: licèt oculus Tauri & aliæ ſtellæ violentæ hac in domo exiſtentes, non leuem ob id minentur perturbationem.

In duodecima ſignum Geminorum, cujus diſpoſitor Mercurius eſt in nona, ſignificat regnum hoc Chriſtianæ Religioni beneficium; quoſdam tamen eius antitiſtes, hoſtes habiturum, à quibus libertas ſua non mediocriter lædetur.

JVDICIVM PARTICVLARE.

ANNO 542. Childebertus ingreditur Hiſpaniam, quam vaſtat, victorque redit in termino Iouis, occurrente cane majore de natura Iouis & Martis, Venere etiam per decimam tranſeunte.

Anno 555. & 560. magna turbatio in Gallijs, ob Chramnum filium Clotharij Regis, contumacem, & impiè in patrem arma mouentem, quem Patér deprehenſum juſſit in tugurio comburi: tunc Horoſcopus accedit ad apicem duodecimæ; quadratus Saturni tranſit per Lunam dominam Horoſcopi; ipſe Saturnus per partem fortunæ; Venus domina quartæ parentum, tranſit per decimam, victoremque efficit parentem.

Anno 570. & ſequentibus, ciuile bellum inter fratres ſimol regnantes, magnaque tunc morum corruptio, in tranſitu Martis per Iouem; Iouis per Saturnum, hi tranſitus referunt magnas conjunctiones, quæ ſolent eſſe cauſæ magnarum mutationum; tunc etiam eductio colli ſerpentis decurrebat tertiam fratrum: hi motus magni fuerunt circa annum 600. cum factus eſt tranſitus de ſigno aëreo in terreum duabus qualitatibus contrarium.

Anno 720. in 6. gradu Tauri, & eius oculo, ſextili Horoſcopi, Carolus Martellus delet Sarracenos. His tēporibus, ſolus Martellus rem præclarè gerebat, cùm interim Reges Galliæ vitam inertem, & in vmbra palatij turpiter agerent, quod ſignificari videtur per terminum & corpus Veneris vicinum; tunc etiam, Mars, Sol, & decima Imperiorum, tranſeunt per octauam & corpus Saturni; Luna domina Horoſcopi, per oppoſitionem Saturni, tunc Childericus tondetur, fit Monachus, tollitur corona à Meroueis & transfertur in Pepinum anno 753. cùm fit tranſitus à Tauro ſigno terreo in Arietem igneum.

Anno 771. & ſequentibus, dùm decurritur decima, domus imperij, occurrente capite meduſæ quæ in decima ſignificat jus vitæ & necis; dùm etiam canis major tranſit per apicem decimæ; Regnat Carolus magnus qui Longobardos vicit, & poſtea coronatur Imperator.

Anno 870. in 5. Arietis, qui eſt apex cœli, & decima Galliæ, Ludouicus Baldus Sarracænos vincit in Italia, & Ducem Beneuenti compeſcit; tunc tamen Venus tranſiens per corpus Saturni, denuntiabat fœdam fratris Lotharij luxuriam, propter quam iuſta Dei vindicta moritur.

Anno 900. in corpore Martis, Solis, Mercurij, Carolus Simplex regnat pacificus, cum vſque ad hæc tempora Galliam rectores tyrannicè gubernaſſent.

Anno 220. Carolus Simplex deſtituitur, collo ſerpentis tranſeunte per Horoſcopum; poſt diuturnas calamitates moritur, capite Algol tranſeunte per partem fortunæ, & oppoſitionem Horoſcopi.

Anno 897. in 11. Piſcium, dum oppoſitio Saturni tranſit per decimam & eius quadratus per primam: Luna domina Horoſcopi per duodecimam, aufertur corona à Carlouingijs, & transfertur in familiam Capetorum, ipſo Saturno per quartam, domum patrimonij, tranſeunte.

Anno 1035. circa trinum Horoſcopi, in termino & corpore Iouis, floret Rex Robertus inſignis pietate, plures hymnos ab Eccleſia receptos compoſuit, & piè decantauit, ſicut alter Dauid, qui in eo videbatur rediuiuus, cum vixerit in eodem 2. gradu Piſcium, vt notatum eſt in figura vniuerſi.

Anno 1100. dum occurrit corpus Saturni, Angli bellum mouent aduerſus Philippum Auguſtum, magnamque cladem Gallis inferunt.

Anno 1217. Regnat S. Ludouicus in tranſitu Iouis per ſpicam moritur anno 1269. trans mare cum occurrit Delphin, tempeſtuoſa conſtellatio, & Aquila pariter tranſit per Horoſcopum, in figura vniuerſi caput Meduſæ tranſit per radicem Galliæ.

Ab anno 1320. in oppoſitione Horoſcopi & ſequentibus, cum planetæ omnes tranſeunt per ſuas oppoſitiones, Angli vaſtant Galliam, & eam penitus occupant anno 1430. ſola tunc Bituriceenſium Prouincia Carolo 7. relicta, caput Meduſæ tranſibat per Lunam dominam Horoſcopi. Decurrebat Gallia ſignum igneum ſuo Cancro duabus qualitatibus contrarium, & Anglorum Leoni ſympathicum; tunc etiam erat infœlix tranſitus Saturni per Horoſcopum. Repreſſi fuerunt anno 1453. Ioue tranſeunte per ſecundam domum acquiſitionis.

Anno 1495. & ſequentibus in mutatione ſigni, & tranſitu à Sagittario in Scorpionem, Cancro Galliæ ſympathicum, Carolus 8. occupat Italiam, Romam, Neapolim.

Anno 1525. in termino Saturni, Franciſcus Rex fit belli captiuus, mundo tunc decurrente quadratum Galliæ, & ob fœlicitatem Hiſpanorum, in quorum figura tunc occurrebat corpus Iouis. Ipſe Carolus V. Imperator, vt notat Gauricus, habebat in Horoſcopo quintum gradum Capricorni oppoſitum Horoſcopo & Galliæ & Franciſci primi. Anno etiam 1504. facta fuit magna conjunctio Saturni & Iouis in Cancro, Galliæ ſimul & Franciſci Horoſcopo.

Anno 1589. occurrit caput Herculis ſtella violenta. Henricus 3. Rex proditioſè occiditur. Henricus 4. obtinet regnum, quod diuturno bello ciuili vaſtatum eſt. Tunc quadratus Saturni tranſibat per nonam, Saturnus per duodecimam. Fœliciter tamen res ceſſit, præualuitque religio circa annum 1595. Ioue tranſeunte per Horoſcopum.

Anno 1615. & ſequentibus fœlicitas, quia decurrit trigonum ſui Horoſcopi, ſcilicet 6. Scorpij.

FIGVRA SECTÆ MAHOMETANÆ.

IVDICIVM GENERALE.

NATVS eſt Mahomet anno Chriſti 623. in 23. Cancri, domus Lunæ, vnde Mahometani habent pro inſigni Lunam creſcentem, nam habita ratione Solis dum mundus creatus eſt, in Ariete exiſtentis, ab hoc 23. gradu Cancri, Luna properat ad oppoſitionem, & plenitudinem. In hoc etiam gradu eſt decanatus ſeu facies Lunæ, & genius incidit in 22. Libræ, in domo & termino Veneris, quo ſignificatur Mahometanos Venereis addictos, polygamos, diemque Veneris ſacrum & feriatum habentes. Hæc figura, ferè parem habens cum figura vniuerſi ſignorum & planetarum conſtitutionem, latum promittit Imperium: Eademque videtur eſſe ſignificatio ac in Gallia, niſi quòd in figura Galliæ, planetæ apicem domorum orbe ſuo attingentes, potentiores exiſtunt, pro natura ſua, & domorum.

Gradus 23. Cancri medius inter Hydram & cor Leonis, mundo timendam beſtiam deſignat, cum maximo ſplendore ſæuientem, ſectam tum maritimo, tùm terreſtri commercio potentem.

In ſecunda Leo, feram & horrendam in occupandis aliorum bonis auiditatem, idque pretextu Religionis, propter trinum Martis, Solis, Mercurij in nona exiſtentium, qui planetæ cum fuerint in decima domo vniuerſi, imperaturam portendunt Religionem.

Spica ibid. dat magnos ex commercijs prouentus, & Religioſas peregrinationes. Luna in tertia cum oppoſitione Martis ex nona, minatur periculum nauigantibus propter incurſiones Religioſorum militum illis infenſorum.

In quarta Genius, deſignat tyrannidem, defunctorum occupantem hæreditates.

In quinta Scorpius, magnam dat liberorum fœcunditatem, cùm illi vt dictum eſt, dominante Venere admittant polygamiam.

In ſexta Sagittarius, domus Iouis, laborantem prædicit populum, tùm Religionis ſuæ varijs ſectis, tùm aliarum armis & incurſione.

In ſeptima coniugij, pars fortunæ, oſtendit vim eorum maximè poſitam in hominum ex polygamia naſcentium multitudine; quæ ſufficiat tot bellis, & tyrannidi, hominum ſanguini nunquam parcenti. Ad hujus tamen domus apicem accedens Saturnus cum quadrato Veneris, infœlicem oſtendit apud eos ſortem mulierum, quas habent ſeruilem in modum, & ad inſtar jumentorum aut mancipiorum cùm voluerint, mutabiles.

Octauæ diſpoſitor Saturnus, & eiuſdem domus cuſpis in orbe Iouis exiſtens, videtur innuere hujus gentis furorem per mortes & ſupplicia Religionem ſuam inſtaurantem.

In cuſpide nonæ Lucida Eridani ſplendidam innuit Religionem: eadem cuſpis in termino & facie Martis, & intra eius orbem, Solis & Mercurij, ſi-

gnificat armis imperantem Religionem, ſilente ratione, cùm Mercurius ſuperiorum quibus junctus eſt, planetarum induat naturam.

Mirum eſt quòd in tam fœlici imperio, terminos ſuos in dies vlterius protendente, decimam obtineat Algol, omnium peſſima conſtellatio, quâ videtur infœlicitas portendi. An hoc malignum ſydus huic genti occulta fauens ſympathia, cæteris imperijs ſtragem, & vltimum excidium denuntiat? An quia per cæſa fratrum & conſanguineorum capita ſolent imperij thronum conſcendere? An quia vi quadam magica, & faſcinatione detinentur, cæterorum imperantium manus & animi ne iunctis viribus in hunc communem hoſtem inſurgant.

In duodecima Gemini domus Mercurij ſtudijs & ſapientiæ infenſiſſimos oſtendit populos, ſectantes Religionem ſapientibus omnibus irridendam.

IVDICIVM PARTICVLARE.

ANNO 707. Vlit Calipha ditionem Mahumetanam auxit magnopere à monte Atlante ad fluuium Indum. Siniſter pes Orionis tranſibat per 10.

Ab anno 775. ad 849. inter duos canes, ingenti ardore ſæuiunt in Chriſtianos; tunc in figura vniuerſi, caput Meduſæ & decima Turcarum tranſibat per primum gradum Geminorum, radicem Religionis Chriſtianæ.

Anno 849. in 7. Geminorum ex Africa Romanam inuadentes ditionem repelluntur & delentur, quia Religio Chriſtiana fortior erat circa ſuum Horoſcopum.

Anno 1009. in oculo Tauri termino Veneris, ad ejus corpus applicantes Rex Babyloniæ obſidet Ieruſalem, capit, templa diruit, fauente tunc illis ſua Venere, & anno ſequenti in fœdere cum Chriſtianis ineundo; itaut Rex Sarraſenorum ſororem Regis Catholici in vxorem duxerit. Hydra tunc tranſiens per corpus Veneris, has horrendas nuptias ſignificabat.

Anno 1043. in corpore Veneris in decima, gens illa priùs ſtipendiaria illuſtrem auſpicatur dominationem.

Anno 1099. Godofridus Bullonius capit Ieruſalem, & Rex in ea coronatur, tunc quadratus Saturni, oppoſitio Veneris, cor Scorpij tranſibant per Horoſcopum, oppoſitio Saturni per decimam. Circa idem tempus res incipiunt illis malè cedere in Hiſpania amiſſa Tolede. Fauebat Chriſtianis tunc decurrens terminus Mercurij. Sed hæc illis potiſſimum ſignificatur fœlicitas, quia in figura vniuerſi decima cum Marte, Sole, Mercurio tranſibat per primum Geminorum, Horoſcopum Chriſtianæ Religionis.

Anno 1149. in 7. Arietis termino Veneris, Chriſtiani expeditionem mouent in Palæſtinam hortatu D. Bernardi, ſed intempeſtiuam & infœlicem, cum pluribus prælijs deleti, turpiter in ſua redire coacti fuerint. Nam in figura vniuerſi, Horoſcopus ſectæ Mahumetanæ tranſibat per primum Libræ, vbi eſt Luna ipſi fauens, & oppoſita Mercurio Chriſtianæ Religionis Domino.

Anno 1202. & ſequentibus, dum à ſigno igneo tranſeunt in aqueum Cancro ſuo ſympathicum. Tartari ab India ſplendidam in Chriſtianos faciunt incurſionem. Fœliciter illis omnia ſuccedunt circa 22. Piſcium trinum ſui Horoſcopi.

Anno 1335. & 1340. in corpore Iouis incipit Monarchia Turcarum ab Ottomano.

Anno 1373. & ſequentibus fit bellum ciuile inter Mahumetanos, in quo Tamerlanus vicit Bajazet, quod videtur ſignificari per domum ſextam

ægritudinis, quæ tranſit per primam, quadratus Saturni per vndecimam.

Anno 1440. & ſequentibus dum in figura vniuerſi Iupiter tranſit per originem Chriſtianæ Religionis, caput meduſæ per 22. Cancri originem ſectæ Mahumetanæ, Chriſtiani duos inſignes Principes Turcis oppoſuerunt, Scanderbech & Ioannem Huniadam qui diuerſis in locis magnas de illis victorias reportarunt, inter quas eſt Albenſis in cuius memoriam feſtum Transfigurationis Chriſti fuit inſtitutum.

Anno 1453. dum ſpica tranſit per corpus Martis & Solis, & mundus peruenit ad corpus Lunæ, res Turcis cedunt fœliciter; capiunt enim Conſtantinopolim, ſyderibus tunc Chriſtianæ Religioni non fauentibus: Nam eo tempore, & dum capta eſt Rhodus an. 1522. Chriſtiana Religio accedebat ad oppoſitionem Saturni, cuius dum occurrerat corpus, natus fuerat Mahomet. Vide quæ diximus de hoc tempore expendendo figuram Chriſtianæ Religionis.

Anno 1530. Res bellica cedit illis infœliciter in 22. Capricorni oppoſitione ſui Horoſcopi; fit tranſitus à ſigno aëreo in terreum, & planetæ omnes tranſeunt per ſuas oppoſitiones. Paulò poſt Saturnus tranſit per Horoſcopum an. 1552. Sub hoc eodem infœlici influxu accidit illis clades Lepentina in tranſitu Saturni per Hydram, & cordis Scorpij per decimam, & dum decurrunt Capricornum ſibi oppoſitum.

FIGVRA

FIGVRA HISPANIÆ.
IVDICIVM GENERALE.

HISPANORVM regnum anteà varium, ſtatum habere cœpit ab Alphonſo Catholico an. 742. in 3. Leonis, domus Solis, trigoni ignei, vnde Leonem habent pro inſigni, rubrum pro colore. Generoſi, ſplendoris amantes, acerrimi Religionis, etiam in ſpectaculum, profeſſores, propter terminum Iouis & Solem primæ dominum juxta cuſpidem nonæ exiſtentem. Innatam habent grauitatem, propter decanatum Saturni, & eius oppoſitionem. Hæc oppoſitio, minatur maximam à Saturninis, vt Iudæis vexationem, & pœnè extinctionem, ſtabiles in conſilijs efficit ſignum fixum.

In ſecunda Virgo, ſignum terreum, domus Mercurij in nona cum Marte & Sole exiſtentis, ſignificat terras occupantes, ſub prætextu legis & Religionis inferendæ.

In tertia Libra, quæ in vniuerſi figura, obtinebat imum cœli, & Luna propè cuſpidem eiuſdem tertiæ, promittit fœlicem ſub alio polo nauigationem; Non erit tamen conſtans ibidem poſſeſſio, quia Libra ſignum mobile, & in eo Luna variabilis inconſtantiam ſignificant; turbabuntur autem à populis, quibus Aries dominatur.

In quinta Sagittarius, fœlicem promittit Religionis propaginem, non ſine ſeuera, & armis imperata diſciplina; lyra conſones populorum, velut filiorum mores indicat.

In ſexta Capricornus, ſignum in quo Sol incipit aſcendere, ambitione plurimum laborantes ſignificat, occultâ tamen, quia Saturnus diſpoſitor, & vmbrarum parens, eſt ſub horizonte occidentali. Et poſt cuſpidem ſeptimæ. Illic exiſtens, & primam oppoſitione ſuâ feriens, minatur excidium propter coniugia, cum hoſtilibus populis inita. Quale fuit cùm anno 1009. Rex Catholicus dedit ſororem ſuam in vxorem, Regi Sarracenorũ.

Iupiter in fine ſeptimæ, & propè octauam, mutus in Piſcibus, videtur minùs, ratione quàm vi, & fulminibus armata manu, per mortes, Religionem extorquere; illam armis, imperio ſtabilitam, ſcientiâ poſtmodum illuſtratam promittere videtur Mercurius, Marti & Soli junctus propè cuſpidem nonæ; & illic planetæ qui in figura vniuerſi erant in decima, fœlix ſub Religionis auſpicijs ſignificant imperium.

Venus decimæ domina, & ad eius apicem accedens, muliebre ſignificat imperium; & multis obnoxium tempeſtatibus, propter plures ſtellas primæ magnitudinis procelloſas illic exiſtentes. Oculus Tauri de natura Martis, dat imperium cum violentia, ſed malo exitu.

In vndecima ſignum Geminorum, cujus diſpoſitor Mercurius, & in nona Marti & Soli junctus; Hiſpanos oſtendit ſcientiarum, & Theologiæ Chriſtianæ potiſſimùm amicos; eius celeberrima apud ipſos collegia. Licèt canes ardentia ſydera, rabidam inter Doctores pugnam, ob idque læſæ, tum charitatis, tum pietatis damna prænuntient.

In duodecima Cancer, qui in figura vniuerſi primam obtinebat, Hiſpanos velut humanæ vitæ & libertatis, communes hoſtes denuntiat. Hoſtes etiam habebunt ſub Cancro natos, Gallos, Venetianos, Mahometanos, variamque inter decertantes armorum ſortem deſignat hoc ſignum mobile, ſub Lunæ variabilis dominio. Alias antipathiæ rationes, vide in figuræ vniuerſalis domus ſecundæ expoſitione.

IVDICIVM PARTICVLARE.

ANNO 755. Froïla Alphonſi primi Regis filius inſignem reportat victoriam de infidelibus cœſis eorum 50000. in primo gradu Leonis, trino Martis, Solis, Mercurij, qui tres planetæ iunctis viribus, & in optimo cœli loco, ſcilicet in nona exiſtentes coërcent nociuam Saturni oppoſitionem.

Circa annum 890. in 2. Cancri regnat Alphonſus magnus, in tranſitu Veneris per Martem, Solem, Mercurium, & ijſdem planetis tranſeuntibus per Iouem.

Anno 1200 in 1. Tauri corpore Veneris, Rex Hiſpaniæ cædit 20000. Sarracenorum.

Anno 1257. in termino Mercurij, regnat Alphonſus decimus Aſtronomus, qui creatus Imperator, de Imperio non curauit in capite Meduſæ.

Anno 1360. in 1. Arietis Venere per quadratum Martis tranſeunte, & Saturno per Lunam, regnat Dom Petro qui immaniter matrem occidit, & ſimiliter multos primates, oppoſitione Saturni tranſeunte per corpus Martis, Solis, Mercurij; decem ante annis orta inter fratres diſcordia, dum eos perſequitur, ab ipſis capitur & occiditur.

Anno 1464. Fœlicitas, quia mundus peruenit ad ſextilem Hiſpaniæ.

Anno 1492. Ferdinandus V. Mauris poteſtatem omnem adimit in 2. Piſcium, dum applicat ad corpus Iouis. Tunc in figura vniuerſi Venus tranſibat per 3. Leonis Horoſcopum Hiſpaniæ, & Iupiter erat prope originem Chriſtianæ Religionis percurrens primos gradus Geminorum.

Anno 1505 in corpore Iouis regnat Carolus V. poſtea creatus Imperator tunc Hiſpanis multa fœliciter cedunt in bellis contra Gallos, & in nouæ terræ luſtratione. Sole, Marte, Mercurio tranſeuntibus per quartam, Ioue per Lunam in tertia; & eo quod in figura vniuerſi mundus peruenit ad quadratum Galliæ.

Anno 1572. in 15. Aquarij Hollandi ab Hiſpanis deficiunt, prius anno 1560. commoti, dum eductio ſerpentis, quam diximus in figura vniuerſi ſignificare rebelles populos, tranſibat per corpus Veneris, in hac figura decimæ diſpoſitrice. Mars & Sol dominus Horoſcopi, per eandem ſerpentis eductionem; & in figura vniuerſi caput Meduſæ tranſibat per originem Hiſpaniæ, maximas tunc cædes ſignificans.

Anno 1610. Mauri expulſi ſunt in termino Veneris. Ioue inter duos eanes in figura vniuerſi conſtituto, magnum pro religione zelum bellicum ſignificante.

Anno 1625. & ſequentibus longa infœlicitas, quia Saturnus tranſit per Horoſcopum, eius quadratus per decimam: & paulo poſt omnes planetæ tranſeunt per ſuas oppoſitiones.

Digitized by Google

FIGVRA ANGLIÆ.

IVDICIVM GENERALE ET PARTICVLARE.

REGNVM Angliæ incœpit ab Egberto anno Chriſti 801. in 8. Leonis, vnde cum diſtet tantum quinque gradibus ab initio Hiſpaniæ, in eodem ſigno, idem ferè de duobus contingit generale iudicium. Nati in Leone habent Leopardum pro inſigni. Gallis infenſi propter omnimodam ſigni contrarietatem.

In termino Veneris facie pulchri ſunt, & mundiciæ ſtudioſi: decima inter duas fixas violentas, ſcilicet oculum Tauri, & ſiniſtrum pedem Orionis, & in termino Mercurij, denotat regimen violentum & inconſtans, principibus ſuis inſidioſum & timendum.

Circa an. 1010. dum fit tranſitus à ſigno Cancri in ſignum Geminorum; in terminis Saturni & Martis, miſerè à Danis occupantur.

Anno 1109. & ſequentibus bellum ciuile in gradibus canicularibus, occurrente cane maiore Rex occiditur; Sole domino Horoſcopi per ſextam tranſeunte.

Anno 1285. & ſequentibus, ſibi fœlicem irruptionem faciunt in Gallias occurrente corpore Veneris dominæ decimæ, & dum fit tranſitus à ſigno terreo in igneum ſibi ſympathicum.

Anno 1400. & 420. Res illis fœliciter ſuccedunt, cum peruenerunt ad 7. Arietis, trinum ſui Horoſcopi; tunc etiam omnes planetæ tranſeunt per ſuos trinos aſpectus. Henricus V. coronatur Rex Galliæ.

Anno 1453. expelluntur ex Gallia; Regnum ſcinditur diſcordia principum d'Yorck & Lancaſtre; illis tunc omnia infœlicia, cum fit tranſitus à ſigno Arietis in ſignum Piſcium ſibi contrarium, & in termino Saturni in quo, anno 1560. principes incarcerant Henricum VI.

Anno 1481. Richardus de Glouſtre, vſurpat Regnum, vſurpato Rege puero, in termino & facie Martis. Prima domus decurrebat octauam: tunc in figura mundi, oculus Tauri ſydus Martis violentum, tranſibat per 7. Leonis, Horoſcopum Angliæ.

Anno 1520. Henricus Rex fit deffenſor fidei in termino Mercurij, & decanatu Iouis. Fomahand tranſit per Horoſcopum.

Anno 1532. deficit à fide, dum decurrit octauam mortis cuius diſpoſitor eſt Iupiter; tunc eius oppoſitio tranſit per octauam; Saturnus & quadratus Veneris per primam, Luna per nonam, cum oppoſitione Martis, Solis, Mercurij.

Anno 1558. Floret Regnum ſub potenti Regina Elizabeth, cum mundus attigit 7. gradum libræ ſextilem Angliæ. In figura particulari Iupiter tranſibat per ſecundam acquiſitionum & Lunam; poſtea obtinet Regnum Scotiæ, occurrente corpore Iouis.

Hæc ſufficiant, dum te, LECTOR monuero, ne dictis velut certis, & ineluctabili fatorum lege decretis fidem habeas. Luſimus in cœleſti campo, multaque non vt vera, ſed ad veriſimilitudinem concinnata protulimus; igitur eo quo dicta ſunt animo, beneuolus excipe. Nam ridiculus foret ex-

tremaque laborans ſuperſtitione qui à rebus maximè publicis gerendis deterreretur ob ſitum quem habuit Mars aut Saturnus initio mundi. Vnde plus credendum eſt in rebus agendis, prudentum, quam Aſtrologorum conſilio; ſapiens enim Aſtris dominatur, ſuæque bonæ fortunæ peritiſſimus eſt artifex. Cæterum quis deprehendet æternitatis arcana, finemque mundi quem nullus ſcit niſi pater cœleſtis, cum & Libera eius decreta etiam Angelos lateant Itaque his quæ diximus de diluuio noli credere. Leuiſſima illic affertur conjectura, cui præualet Dei oraculum gen. 8. Non perdam vltra diluuio omnem carnem. Similiter alia quæ propoſuimus de Religionibus & Regnis dicta ſint animi gratia, ſalua fide; Ludus fuit, vt præfati ſumus, qui ſi tibi Lector, arridet, ſaltem dices cum Italis, ſi non è vero, è ben trouato. Quod ſi te mouent illæ rerum ſublunarium, cum ſuperioribus congruentiæ, velut demonſtrationes diuinæ ſapientiæ lingua cœlorum populis omnibus nota, communique deſcriptæ, ſupplex adora ſummum numen omnia ſic ab initio, fortiter ſuauiterque diſponens. Ex hoc magno ſæculorum, imperiorum; totius orbis ſpectaculo, diſces parui pendere quotidiana quæ fama celebrat, opinio ſuſpicit, & immortalis animus hæc tandem indignatus tranſitoria, ſtatum quæret in æternitate, fœlicitatem in vno Deo, cui ſit honor & gloria.

FINIS.

JNDEX CAPITVM
Nouæ Methodi.

Ad Lectorem. pag. 1.
Figura vniuerſalis ad expendendum quodlibet thema Aſtrologicum. pag. 2.
Expoſitio figuræ. pag. 3.
Vſus figuræ. pag. 5.
De directione. pag. 6.
De profectione. pag. 6.
De Reuolutione. pag. 7.
Figura ad erectionem cujuſcumque particularis thematis parata. p. 8.
Expoſitio figuræ particularis. pag 9.
Exemplum in figura Henrici IV. Galliarum Regis. pag. 10.
Expoſitio figuræ. pag. 11.

JNDEX CAPITVM
Fati Vniuerſi.

Ad Lectorem. pag. 3.
Figura vniuerſi, veraque cœli diſpoſitio, cum mundus à Deo creatus eſt. pag. 5.
Pars Prima de tempore & hora creationis mundi. pag. 6.
Cur ſic planetæ in figura vniuerſi conſtituantur. pag. 8.
De ſtellis fixis. pag. 9.
Conuenientia ſex domorum ſupra Horizontem, cum his quæ refert Geneſis de ſex diebus creationis mundi. pag. 10.
Ratio ſignificationis duodecim domorum cœli, & ex illis generale de mundo iudicium. pag. 12.
De magnis annis. pag. 16.
De directione & tranſitu planetarum. pag. 17.
Collatio figuræ ſingularis cum figura vniuerſi. pag. 18.
Secunda pars, Ad Lectorem. pag. 20.
Primæ Circulationis. Domus prima. Figuræ vniuerſi. pag. 22.
Domus ſecunda, tertia, quarta, quinta, pag. 23.
Domus ſexta. pag. 24.
Domus ſeptima & octaua. pag. 25.
Domus nona. pag. 26.
Domus decima & vndecima. pa. 27.
Domus duodecima. pag. 29.
Secundæ Circulationis ſeu à Chriſto
Domus prima. pag. 30.
Domus ſecunda & tertia. pag. 31.
Domus quarta. pag. 32.
Tertia pars. In qua ſunt figuræ quædam particulares, legum & imperiorum. Ad Lectorem. pag. 34.
Initia Regnorum, ciuitatum, congregationum, ante & poſt Chriſtum natum, pag. 39.
Figura ad erigendum thema cujuſlibet regni, ciuitatis, aut congregationis. pag. 40.
Expoſitio figuræ. pag. 41.
Figuræ Religionis Chriſtianæ, Iudicium generale. pag. 42.
Iudicium particulare. pag. 44.
Figuræ Galliæ, Iudicium ganerale, pag. 47.
Iudicium particulare, pag. 48.
Figuræ ſectæ Mahometanæ, Iudicium generale. pag. 50.
Iudicium particulare. pag. 51.
Figuræ Hiſpaniæ, Iudicium generale, pag. 53.
Iudicium particulare. pag. 54.
Figuræ Angliæ, Iudicium generale & particulare. pag. 55.

FINIS.

AD ILLVSTRISSIMOS VIROS AMPLISSIMI SENATVS ARMORICI.

IN Librum de Fato Vniuerſi nuper editum.

Diſceptatio P. Juonis Pariſini Capuc.

ÆQVITATIS & bonitatis veſtræ in omnium tutelam æqualiter diffuſæ mos eſt, Iudices optimi, ſeu mortuis ſeu abſentibus in crimen vocatis patronos deſignare, vicariamque vocem tribuere, ne inauditos, nil ſibi de illis timens contumelia liberiùs inſectaretur. Ita factum eſt, vt de libello ab Arabe quodam pluribus abhinc annis compoſito, ſed nuper typis mandato priuatim volueritis inquiri, & an curioſa nimis, Reipublicæ, pietatique nociua contineat, vt fert ſparſus rumor, ad Theologicæ veritatis regulam diligentiùs expendi. Quis non probet æquiſſimum judicium, quo ſimul innocentiæ, patriæ, Eccleſiæ, fidei, moribuſque conſulitur, & ne fructus prohibitos auidæ mentes decerpant, flammeo gladio præcluditur aditus. Plaudo, gratulor, huic tam propenſo in bonum publicum affectui, ſed quid ni doleam huius exercendæ cenſuræ onus impoſitum mihi quem ſcitis imparatum, minùs quam deceat, in talibus eruditum, & quem diuerſum penitùs ſcribendi genus totum detinet. Vultis tamen me ſcribere, & hæc veſtra voluntas mihi lex eſt, cui refragari nefas. Agam igitur eâ qua vultis libertate, dicamque hac in cauſa quid ſentiam, ſaluo ſuo cuique judicio, id tamen totum quod hîc proferam, vt id omne quod vnquam ſcripſi, ſubiectum ſit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

DE SVSPECTA ET AB ANTIQVIS prohibita Aſtrologia Judiciaria.

CAPVT I.

TOTIES à mundo litterario, politico, Eccleſiaſtico proſcripta fuit Aſtrologia, tot antiquorum & recentiorum ſcriptis laceſſita, vt nunc eam vulgus habeat inter perduelles, pro quibus ne licet quidem ſupplicare. Grauiſſimas oportuit eſſe cauſas, quibus permoti tot Eccleſiæ Patres, tot de Religione, de Republica, de cæteris ſcientijs authores benè meriti, hanc vnicam velut ream, priuato, publicoque bono nociuam, & velut in reatu deprehenſam publico judicio condemnarint. Fuit illis prioribus ſæculis ratio, cur in hanc irent ſententiam, fuit & ſequentibus cur rebus, animis, temporibus mutatis, generalem hanc acerbamque contomeliam, aliquo lenirent temperamento.

Exactis Romæ Regibus, omnes eorum leges Lege Tribunitia abrogatæ ſunt; Ejectis deletiſque tyrannis, omnes eorum actus ſummo populi ad libertatem aſpirantis & in vindictam propenſi tumultu reciſi L. 2. ff. de Orig. Iur.

ſunt, ne quid penitùs ex damnata memoria ſupereſſet, quod vel minimo probaretur obſequio. Sic extinctâ per vniuerſum orbem Idololatriâ, Dæmonibus ejectis, Chriſto regnante, in tertio, quarto, quinto potiſſimum ſæculo, omnibus Eccleſiæ patribus tunc vna fuit mens abrogandi quidquid ſaperet antiquam ſuperſtitionem, quidquid ad illam pronos renocare poſſet animos, aut in eius aliquâ exiſtimatione detinere. Cùm autem falſis Dijs planetarum nomina fuerint indita, cùm Saturnum, Iouem, Martem, Appolinem, Venerem, Mercurium, Dianam, apud gentes omnes, hymni, templa, vota, ſacrificia, anni menſes, menſium dies vbique perſonarent, conſilium de cœlo Chriſtianis fuit, ea tunc radicitùs extirpare. Mundus grauiſſimo & acuto morbo laborans, ad ſanitatem hac indigebat criſi quæ noxios omnes humores in ſua cauſa commotos, magno ſimul effunderet conatu: vt olim Iudæus populus Ægyptiacam fugiens ſeruitutem, ſuo tranſitui ſuiſque profectibus contrarios populos deleuit anathemate, ita Chriſtiani ſibi potiſſimum noeinam & ſuſpectam Aſtrologiam exiſtimantes, illam ſine delectu zelo ſæuiente perſequti ſunt, & in primitiua Eccleſia, hi qui fuerant curioſa ſectati, libros ad Apoſtolorum pedes contulerunt & comboſſerunt. Tertulianus, his vicinus temporibus, dicit Angelos deſertores Dei, amatores fœminarum, huius curioſitatis fuiſſe proditores, propterea quoque damnatos à Deo, & è cœlo ejectos magiſtros, vt intelligamus ex vrbibus pellendos eſſe diſcipulos; ecce quomodo in opinionis ſuæ tutelam etiam hæretica aduocet dogmata. D. Ambroſius in Exameron. D. Chryſoſtomus. D. Auguſtinus paſſim inuehuntur in Aſtrologiam, quaſi auertat à Deo, quaſi non ipſi regimen vniuerſale, tribuat ſed aſtris & inductâ fati neceſſitate libertatem animi, conſilia virtutes omnes Morales & Theologicas, vota ad Deum extinguat. Quid mirum ſi ſcientiam hanc tot criminum ream aſſerentes, illam Chriſtianis exoſam effecerint.

Act. 9. *Tertuli. lib. de Id. cap. 9.* *Lib. 5. de ciuit. c. 5. & 7.*

Mitiùs poſtea cum Aſtrologis actum eſt, vtque legibus cautum fuit, ne omnia tyrannorum reſcripta reſcinderentur, ſed illa tantùm quæ contra jus facta fuiſſent, ſic compoſito magis judicio peritiſſimi Theologi hanc tantùm Aſtrologiam damnarunt quæ aſſerit, omnia pendere ab aſtris, illa neceſſitatem, vt rebus cæteris, ſic humanis actibus inferre, fruſtra in contrarium niti voluntatem, & quidquid tentet, fato rapi. Inter hanc in exceſſu peccantem opinionem, & aliam in defectu, eorum ſcilicet qui negant aſtra quidquam in nos habere virium, inualuit media & vera ſententia, cœlum in res quidem corporeas inferiores influere, in elementa, in mixta, in corpus noſtrum, in temperamentum, non tamen in animam humanam ſpiritualem, incorpoream, ſic ſuperioris ordinis, non in eius voluntatem, cuius libertas nunquam poteſt cogi, quin eligat, amet, amplectetur quod ſibi placuerit inuito cœlorum influxu. Id validiſſimis rationibus paſſim probant Albertus Magnus, D. Thomas, Scotus, & cæteri omnes Theologi quorum authoritates longum eſſet hic retexere: Conſule Iunctinum Doctorem Theologum in ſua Aſtrologiæ præfatione, his authoritatibus, rationibus, exemplis, obiectionum ſolutionibus, referta. Paucis ab hinc annis Eminentiſſimus Cardinalis de Richelieu Theologiæ & politiæ peritiſſimus gratus excepit & tota Sorbona in ſuo Prouiſore, librum in Aſtrologiæ ſic temperatæ defenſionem ſcriptum à viro, doctrina & pietate celeberrimo Congregationis Oratorij Generalis R. P. de Condren, qui rogatus vt in hac materia reſponderet, etiam vt id viris illuſtribus præſtarem, exemplo ſuo me prouocauit.

L. 5. cod. Theod. de infirm. his quæ à tyrannis acta ſunt. *D. Thom. lib. 3. contra Gentiles. c. 86. &c. & 1. q. 58. a. 5.*

Ego ſanè mundum diu contemplatus, varias ſyderum facies, poſitiones, varios, citiſſimos, indefeſſos, certiſſimos tamen ſemper, ſem-

Digitized by Google

perque in ſe redeuntes motus, ſic tacitus cogitaui, non ſunt illic ad ornatum diſpoſitæ ſtellæ, quarum maxima pars nos latet, cæterarum ſitus irregularis nec trahit, nec paſcit oculos. Non tanti conſtat voluptas mortalium, maximè cùm omnes pauciſſimis exceptis cœleſtium contemplationem non modo deſpiciant, ſed illam affectato per inſcitiam, vanitem, ſuperſtitionem contemptu; calumnientur. Interim ſydera hæc non ſentientia placidè ſuos peragunt curſus, & ſi non delectant, regunt tamen inferiora corpora. Nam cùm ſubſtantiæ dignitate, loco, quantitate, qualitate, luce, virtute plurimùm emineant, cùm motus habeant regulatiſſimos, vires validiſſimas, non vanas, non torpentes; & in actum potentiam ſuam non educentes, illam ſic ſemper explicant, vt inferiora quæ ab ipſis pendent, ne diſſoluantur, in concentum adducant harmonicum, hinc elementorum ordo perpetuus, fida commercia, ſtatis horis oceeani fluxus & refluxus, ſeries tempeſtatum anni, vbertates, ſterilitates, quatuor humorum in corporibus plus minuſue temperata mixtio, alteratio, reſtitutio, & innumeri ſimiles effectus quos à cœlis pendere nemo ſapiens inficiatur.

Quidam illos & rerum inferiorum ordinem referunt in Angelos cœlorum motores, ſicut enim in arte, forma operis artificioſa, etſi fieri videtur per inſtrumentum, efficitur tamen artificioſæ intelligentiæ forma, quam ſolam imitatur; ſic & formæ rerum naturalium, plusquàm artificioſa ratione diſpoſitæ, non tàm cœleſtium corporum, vel moles vel qualitates, quàm animorum cœleſtium notiones imitantur, atque ſequuntur; ſimiliter in animali calor, non redigit cibum in vitæ formam, in quantum calor eſt, cujus officium eſt diſſoluere, ſed in quantum ductus à vita. Alij denique dicunt Angelorum mentibus impreſſas eſſe à Deo, rerum futurarum ſpecies, quas nobis quandoque, ſtellarum quaſi oculorum nutibus in nos conuerſis, explicant, & ſic aſtra non ſunt in humanis cauſæ, ſed ſigna, ſicut propitius paterni oculi nutus, non eſt cauſa beneficij, ſed ſignum.

Marſil. Ficin. in Plotini lib. 3. enea 2. cap. 2. D. Thom. Opuſ. 28. c. 2. ſub finem.

At ſiue cœlum, ſit rerum inferiorum perficiendarum vel inſtrumentum, vel Index, medijs Angelis qui ſunt omnes adminiſtratorij ſpiritus, Homo nobilior mundi pars, ſpectator, & dominus, his intereſſe vult, non vt alienis, ſed vt proprijs; ſua mens obiecti dignitate prouocata, petit altum, & in arcana mundani regiminis, velut imperatura gaudet admitti. Hæc ſublimis ſcientia, ingenuis mentibus ipſa ſua nobilitate gratiſſima, etiam vtilis eſt, & vt opportunè humana peragantur lucem præfert. Hac enim diriguntur artes plurimæ, vt agricultura, nautica, militaris, medicina, etiam moralis hinc diſcens veram corporis temperiem, & indolem, vnumquemque ſibi conuenienti vitæ inſtitutis concedit. Mouent enim aſtra, inclinant, ſed abſurdiſſimum eſt aſſerere quod neceſſitent, & fato non vitabili libertatem auferant.

Ptolomæus hujus ſcientiæ princeps in prologo, & Aphoriſ. 5. & 8. diſertis verbis aſſerit hanc ſcientiam eſſe tantum conjecturalem, ſicut eſt nautica, medicina, agricultura, & vt non interdicitur nautica, propter quædam naufragia quæ interdum contingunt, medicina propter mortes ægrotantium, licèt per illas ſua conſtent experimenta, ſic Aſtrologiam è ſcientiarum numero non delendam, eo quod fallax in ea ſæpè contingat judicium, non artis, ſed artificis parum experti vitio.

At cur, inquiunt, non proſcribatur ſcientia quæ tot ſæculis dedit occaſionem Idololatriæ; itaut aſtra pro Dijs haberentur. Lugenda ſanè populorum cæcitas, miniſtros pro rege, creaturas pro creatore colentium; ſed auerte quòd Chriſtus qui abſtulit idola de templis, aſtra tamen non extinxit in cœlo, vt liberam illorum contemplationem, abuſu ſublato nobis relinqueret. Etiam nunc ſaluâ fide patimur

domi in gregibus & armentis animalia quæ pro Dijs cæca quondam habuit antiquitas. Tranſgrediamur hæc media tempora; tollamus næuos, ſordes, ignominias quibus affecerunt Aſtrologiam, illamque natalium ſuorum ingenuitati velut poſtliminio reſtituamus; prior veritas præſcribat mendacio, vindicemus procul à ſuperſtitione cœli contemplationem, prout illius author eſt Deus, dùm ſtellas in ſigna & tempora con-
Gen. 1. 14. ſtituit. Fuerunt Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, & eadem quæ nunc nobis lucent ſydera, antequam illa Græci fabulis ſuis, prophaniſque cæremonijs infamaſſent, & corporum immortalium nomina, mortalibus ſuis principibus tribuiſſent. Philo & Ioſephus referunt Aſtrologiam ab Abrahamo in Ægyptum delatam, in qua peritiſſimus fuit Moyſes, Abraham à Noë didiciſſe, Noë à Patribus, illos ab Adam, Adam à Deo. Hanc, vt fuit olim, expurgatam ab omni dæmonum ſuperſtitione, ſic artium directricem, vt nihil diuinæ prouidentiæ, nihil humanæ libertati detrahat, leges omnes tum ciuiles, tum Eccleſiaſticæ probant
D.Thom. locis cita. Barboſa in can. non licet 26. q. 5. & tantum fati neceſſitatem afferentis aſſertores, damnant, & hæc eſt Doctorum ſententia. Hæc oportuit præfari vt occuramus citationibus innumeris Patrum qui vt diximus naſcentis Eccleſiæ zelo fortiter acti, Aſtrologiam indiſtinctè damnarunt, prout ſcilicet tunc dæmonum ſuperſtitionibus mixta, vigebat apud infideles, at nunc ſub Chriſto « & », principium & finis, qui facit vtraque vnum, & primis vltima mirè connectit, liceat cœleſtium ſcientiam puram, defæcatam colere, ſicut fuit olim apud Sanctos Patriarchas, qui hanc & morum regulam, & religionis, laudandique Deum potiſſimam cauſam habuerunt.

Tandem obijciunt nobis Bullas Sixti V. & Vrbani VIII. quæ abſolutè damnant facientes judicia & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus ſucceſſibus affirmare audent, etiam ſi non certò ſe id affirmare aſſerant. Non hic in huius opuſculi patrocinium afferam, quod à multis dicitur, leges illas eſſe temporales quæ non prohibent abſolutè ſcientiam conjecturalem ex ſe bonam, antiquiſſimam, in multis vtilem, ſed tantum ſuſpendit ratione abuſus qui tunc vigebat in certis locis & perſonis. Nam nouis hiſce conſtitutionibus occaſionem dedit,
1. Mac. 1. viliſſimorum hominum imperitia ſapientiam hanc, non magnificè vt olim Salomon, ſed vanè, temerè, turpiter profitentium: admittatur licet, ſine vlla diſtinctione ſummorum Pontificum in talibus authoritas, ſufficit quod contra tales leges non peccauit author, qui in figuris particularibus nihil de futuro, nihil de contingenti prædixit, ſed tantum cum rebus olim geſtis notauit cœleſtes quaſdam congruentias, quibus homines, ad diuinæ prouidentiæ laudem, bonitatis amorem, juſtitiæ metum poſſent adduci, vt infra demonſtrabitur.

AN

AN INNOCENTER ARABS *propoſuerit Fatum Vniuerſi.*

CAPVT II.

SI cogites à mundi creatione tot ſæculorum præteritorum & futuro-
rum decurſum, vita hominis etiam longiſſima momentum eſt, & in-
tereſſe putas in puncto notare diſtinctiones, temperamentum, indolem,
caſus varios priuati cuiuſdam ex cœleſtium obſeruatione ? Numquid
immortali corpori fit injuria, ſi tantum putetur laborare, lucere, mo-
ueri mortalibus, & tot orbium immenſo circuitu texere, quæ mox diſ-
ſoluat ? Sentit hoc humana mens, & perpetuum quid fieri à perpetuo
motu, ordinatiſſimum à regulatiſſimo, à maximo maximum auguratur,
aliosque eſſe ſyderum effectus, quàm vt hominem, folium ſcilicet quod
vento rapitur, dirigant. Vnde parum ſibi videtur alicujus geneſim
Aſtrologicis rationibus expendere, ſed his ſingularibus prouocata non
ſatiata, fertur ad vniuerſale, fruique geſtit libero totius mundi proſ-
pectu, vt obſeruet quid ſuperiores cauſæ conferant ad partium ordi-
nem & perennitatem. Iam ars homini conceſſit quod Propheta tribuit
Deo, terram palmo concludere, dum eius amplitudinem ſuis diſtinctam *Iſay. 40.*
climatibus vno videt intuitu in globis & chartis Geographicis. Videt
æternò frigore rigentes plagas ſub polis, fœliciores quæ tenent medium
inter alias ſub æquinoctiali circulo maximis ardoribus exuſtas; illic no-
tat dierum & noctium inæqualitates, maris ſinus, fluuiorum capita, gy-
ros, concùrſus, donec in mare redeant; ab his & montibus limites regnis
poſitos; ſparſas per Occeanum inſulas, velut hoſpitia nauigantibus pa-
rata; iter in aquis & aëre, acus magneticæ beneficio, deſignatum; Illic
vbique terrarum lux eſt oculis noſtris, qui ſole velociores, vtrumque
hemiſpherium vno luſtrant momento. O ſi liceret cœlum, velut ſedatis
ſuis motibus in eo ſtatu contemplari vnde fieri poſſet iudicium, non mo-
do de hac varia facie, fœcunditate, paſſione quam illi debet terra, pro
vario ad ipſam ſitu, ſed etiam de ſæculorum omnium inſignibus, certo
tamen ordine poſitis à Deo, & inter ſe concinentibus differentijs. Id Sa-
lomon ſe dicit aſſequutum, Deus, inquit, dedit mihi horum quæ ſunt
ſcientiam veram, vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, virtutes ele- *Sap. 7.*
mentorum, initium, conſummationem, medietatem temporum, viciſſi-
tudinum permutationes, & commutationes hominum, anni curſus &
ſtellarum diſpoſititiones: modum videtur expreſſiſſe velut ſcientiæ ſuæ
conſummationem, cùm ſe dicit didiciſſe diſpoſitiones ſtellarum. Nam
ſi fatentur omnes hominis temperamentum, indolem per totius vitæ
ſuæ gradus pendere ab eo ſtatu quem ipſo naſcente cœlum habuit, ſic
oportet certam contemplari cœlorum conſtitutionem quam ipſi Deus
tunc primum indidit cùm illud crearet, vt hinc de totius orbis, ſæcu-
lorum, regnorum mutationibus haberi poſſint conjecturæ, & rebus po-
tiſſimum publicis agendis locum tempuſque opportunum ſeligere. Sæ-
pius apud me dixi; Erit ne qui hanc immortalium & æternitatis ſcien-
tiam mortales doceat ? Qui librum hunc intùs & foris ſcriptum, ſeptem
ſigillis, ſeptem ſcilicet planetis ſignatū aperiat, mentemque pari ſplen-
dore, quem oculis oſtendit, colluſtret ? Sanè magnis conatibus priuato *Apo. 5. 1.*
publicoque bono plurimum profuturis eſſet indulgendum, & iunctis ſtu-
diorum viribus implendum, quod prior rudi fortè mineruâ delibaſſet.
Dùm hæc mente verſarem, venit in manus meas liber de fato vniuerſi
ab Arabe Chriſtiano compoſitus, qui ipſo ſui titulo erexit animum
meum, tum fœlici natalis ſui augurio, cùm ab eadem Orientis cœli

Digitized by Google

plaga, vt lucem ſenſibilem, ſic intellectualem, leges & ſcientias ſoleamus accipere. Paucis contentum paginis opuſculum dextera citò peruoluit, oculi luſtrarunt, tum attentiùs per lectum meditatio digeſſit. Non eſt nimis audax & intentatum opus, cum de hoc mundano themate loquatur Marſilius Ficinus Theol. Platon. lib. 18. cap. 1. & de vita cœlitus comparanda cap. 19. Iulius Firmicus lib. 3. cap. 1. Cardinalis Cameracenſis & alij Chriſtianæ Religionis aſſertores quos non improbat Gerſon in trilogio Aſtrologiæ Theologiſatæ propoſit. 3 cuius verba refert author pag. 19. His ducibus Arabs noſter non ſe putauit nec in Rempublicam nec in Religionem peccare, ſi hac in perplexa nec ſatis explicata materia, ſymbolum ſuum conferret, rationeſque redderet huius ſicâ ſe propoſiti thematis, & quare ſic ſigna, domus, planetæ, conſtituantur; Iudicet is cui nota ſunt huius ſcientiæ principia, decernat Eccleſia cui ſe humiliter ſubiecit author.

Fati nomen non me terruit, nam fatum, ex Boëtio, eſt connexio cauſarum per quam prouidentia ſuis quæcumque tribuit ordinibus. Id pri-
5. Cõſol. mò locum habet in cœlis, quorum ordinem & motus ſic diſcreuit, ſic
præſcripſit creator, vt per tot ſæcula, ne puncto quidem aberrauerint;
hoc eſt quod Deus ab initio poſuit firmamentum; quod Ezechiel apertis
Gen. 1. cœlis vidit ſuper rotas ſpiritum vitæ habentes, immobile ſcilicet regens
Ezech. 1. mobile, immotam legem, motibus dictam. Secundum & inferius firma-
mentum ſeu fatum, in multis pendens à ſuperiori, lex eſt naturæ ſublu-
1. Pyma. naribus impoſita. Deus, inquit Triſmegiſtus, fabricauit ſeptem guber-
natores, qui circulis mundum ſenſibilem complectuntur, eorumque diſpoſitio fatum vocatur. Hæc eſt aurea catena è cœlo pendens, quâ connexæ ſunt rerum cauſæ, vt non fiat quodlibet ex quolibet, ſed ex proprijs ſeminibus, vt actiua paſſiuis rectè diſpoſitis applicata, agant neceſſariò, ignis comburat ſtupas ſiccas, aqua madefaciat, & omnia ſimiliter habeant ſuos formales effectus; vt plantarum & animalium vita ſit in calido & humido temperato pro varia ſpecierum natura, vt certis qualitatibus poſitis conſtet generatio & exiſtentia, ſublatis ſequatur alteratio & corruptio; vt elementum quodlibet motu proprio ſuum petat
Ier. 32. 2. centrum, & ſimilia quæ Ieremias vocat legem cœli & terræ à Deo dictam
cujus neceſſitas fatum dicitur, fatum enim à fando ſeu dicendo, quia dictum æternæ & immutabilis ſapientiæ diuinæ, generales illos immutabiles habet effectus. In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo, inquit Propheta, & hæc fuit cauſa cur author primæ parti huius opuſculi inſcripſerit. *Fatum Vniuerſi.*

Hæc neceſſitas viget quidem in his quæ pertinent ad ordinem vniuerſi, non tamen in omnibus quæ hic fiunt, nam multa fiunt variè, mutabili-
Marſil. ter, contingenter. Vt id faciliùs intelligatur, aduerte quod Deus eſt
Ficin. in ens primum & neceſſarium; qui illi propinquiores ſunt intellectus, ſunt
Plotinũ. immobiles; animæ deinde paulò remotiores, motu tantum formali mo-
Albert. uentur ſubſtantiã non mutante. Cœleſtes deinde ſubſtantiæ, permanent
Mag. lib quidem, locali tamen motu mouentur, & formali rurſus, propter varias
de proceſ- quas habent configurationes, ſed mouentur immobiliter vt diximus,
ſu vniu. quatenus eodem ſemper ordine neceſſario reuoluuntur, vnde conſe-
tract. 4. quens eſt, vt quæ ſub cœlo ſunt jam mobiliter moueantur. In hac vaga
c. 4. motionum forte naſcitur contingentia, dum quæ ita mouentur à proprio nonnumquam, ſolitoque ordine deficiunt ſiue paulatim debilitatâ virtute, ſiue contrariorum occurſu, & deficientibus in materia diſpoſitionibus; vnde ſeminaria natura plantæ & animalis prolem ſuam, neque ſemper, neque opportunè parit vbique, neque perfectam, vt apparet in monſtris, quia natura generantis impeditur, vel intrinſecùs, vel extrinſecus, & conditiones diſpoſitioneſque materiæ influxum cœli per-

Digitized by Google

mutant, cœlum enim eſt tantum cauſa remota, vnde determinatio effectus pendet à cauſa proxima quæ materiam afficit. Licèt, inquit D. Thomas, ordo cœli ſit neceſſarius, rebus tamen neceſſitatem non imponit, quia non inhæret eis ſecundum poteſtatem celeſtem, ſed ſecundum poteſtatem inferiorum, quæ omninò mutabilia & contingentia ſunt, & ſicut ſolutio temperantiæ cordarum in cythara, ſic mutatio & alteratio inferiorum, diſſonantiam facit ad effectum ſuperioris. Vnde dicit Damaſcenus, quod ſuperiora quidem ſunt ſigna noſtrorum actuum, & nullo modo cauſa. Hæc D. Thomas

D. Thom. Opuſc. 28. de fato c. 3.

Quod ſi natura corporea quæ manifeſtè corpori cœleſti ſubijcitur, & ad vnum determinata videtur, non neceſſariò cœleſtes admittit influxus, certè rationalis anima, cujus notio motioque & intima & latiſſima eſt, quæ ſæpè genus corporale tranſgreditur, corporique repugnat, cœleſtem influxum neceſſariò non ſequitur. Illi fruſtra natura dediſſet vt quotidie conſultando poſſet plura inter ſe oppoſita proponere, niſi poſſet ferri ad vtrumlibet, non poſſet autem, ſi certâ quotidie cœli conſtitutione compelleretur ad certum. Si diuina prouidentia permittit in rebus naturalibus contingentiam ex defectu naſcentem, multo magis in agentibus voluntarijs vbi hæc ex perfectione oritur. Singulorum motiones & paſſiones, quæ in multitudinem infinitam variantur, non poſſunt per vires motioneſque cœleſtes, quæ certo modo definitæ ſunt, & ordine certo procedunt diſtribui atque duci, cum eodem momento aliter moueatur pes, manus, oculus, imaginatio, muſca, formica, auis, &c. non compelluntur ergo à cœlo, ſed à proprijs formis. Quod ſi cœlum non mouet neceſſariò hæc corporea, multo minus hominem, cui proprium eſt duci non phantaſiâ, ſed ratione; vnde illis ſuccenſemus qui temerè & ſine conſilio aliquid agunt, quaſi ſit in illis eligendi, & agendi poteſtas, & ideo peccantes, quaſi voluntate propriâ id fecerint, caſtigamus. Hinc magna varietas in hominum vita, non victus vnus more brutorum, non veſtitus idem. Conſuetudo aliam facit naturam, hæc autem non procedit à cœlo, ſed à legibus, publicis moribus, exemplo, diſciplina, fortunâ, occaſione quadam, proprio conſilio, opinione, ſæpè militaris domus milites facit; Regia, Reges, non natiuitas: nullum ſydus facit venatores aut piſcatores, vbi nulla talis eſt conſuetudo. Sub quocumque ſydere nata animalia, interimuntur pro noſtris vſibus, mortemque habent violentam, ſic omni tempore carpimus flores & fructus, cædimus ligna, non igitur omnia fatum determinat. Si nihil ex ſe agendo principium ſuum imitetur, opus Dei erit abiectiſſimum, vt pote ex mancipijs patientibuſque tantum concinnatum, & Deus non dicetur primum agens, prima cauſa, ſi nulla poſt ipſum cauſa, ſi tantum ſub ipſo cœlum eſſet agens, quod vt diximus infinitæ rerum varietati omni momento non ſufficeret.

His rationibus ductus author aſſerit & nos cum ipſo, humanas actiones liberas eſſe, & à fato cœleſti poſſe quidem inclinari, ſed non cogi. Tamen vt diximus cœlo & terræ datas eſſe leges immutabiles quæ reſpiciunt regimen vniuerſi, ſic ea quæ reſpiciunt regimen hominum vagæ eorum libertati non ſunt penitùs relicta, ſed prouidente Deo cauſis ſuperioribus vt plurimum conformantur, quibus vtitur vt inſtrumentis; quia tamen homines non niſi liberè benè meritos præmijs donat aut punit, vt infra dicetur, & in talibus ſalua ſemper manet hominis libertas, cùm ſingulorum regnorum ſortem exponit author, non inſcribit pro titulo fatum regni, *ſed figura Galliæ Hiſpaniæ, &c.* quod notatu digniſſimum eſt, vt appareat figuras illas innocenter propoſuiſſe; maximè cum in illis nihil fato tribuat, nihil dicat de futuro.

FATO MVNDANO SIC PROPOSITO miri reſpondentes effectus breuiter recenſiti.

CAPVT III.

SVPPOSITIS ſignorum & planetarum proprietatibus, vt ſunt in confeſſo apud omnes Aſtrologos, quis non miretur veram orbis indolem hac cœleſti conſtitutione velut viuis coloribus expreſſam? Vita in calido & humido poſita, ſignificatur à decima domo, in qua eſt Aries ſignum igneum, & in eo tres calidi planetæ, Mars, Sol, Mercurius, & in prima domo Cancer ſigum Aqueum, domus Lunæ. Solitas in mundo viciſſitudines, alterationes, ex corruptione generationes colligere licet ex quattior ſignis mobilibus angulos occupantibus. Quid de diluuio quod contigit dùm contra ſeriem ſignorum mundus peruenit ad corpus Saturni in octaua mortis, & ſi ſequaris ordinem ſignorum, contigit in aculeo Scorpij, initio ſextæ, quæ eſt octaua reſpectu decimæ, vnde probat author ſumendum eſſe præcipuum figuræ iudicium. Saturnus etiam tranſibat per Cancrum horoſcopum mundi, ſignum Aqueum. Si licet hic conuenientijs ludere. Capricornus in ſeptima nuptiarum, & in eius capite plures nebuloſæ, docent mentibus contrahentium opportunè tenebras offundi ne videant ſeruitutem, ſæpiùs infamiam, quam incurrunt, & cui latere pro remedio eſt. Incipiunt Iudæi ſub Saturno, cujus proprietates, moribus ſuis, mirumin modum exprimunt. Vt vide pag. 25. Floret Religio in nona domo Religionis, in qua eſt Iupiter, & ſub eius influxu fœliciſſimo, regnant pijſſimi Reges Dauid & Salomon, templum, mundi miraculum ædificatur. In decima domo imperiorum, eſt Mars, Sol, Mercurius, ideſt vis armorum, authoritatis & conſilij: Ad illam currentibus magnis annis mundi ventum eſt, cum incœpit Romanum imperium, quod à Marte planeta ſuperiore ferreum, ex Danielis Prophetia cætera debebat comminuere, alias conuenientias vide pag. 26. Tandem in duodecima domo carcerum, hoſtium, miſeriarum naſcitur Chriſtus Dominus, ſeipſo, & in membris ſuis grauiſſima pro ſalute mundi paſſurus. Religionem ſuam ſcientificam & mundo imperaturam inſtituit in ſigno Geminorum Mercuriali, cujus diſpoſitor Mercurius erat in corde ſolis in decima; de his infra fuſiùs. Tendem naſcuntur in Cancro Galli, in Leone Hiſpani, quorum mores exprimunt ſignorum ſuorum colores & contrariæ qualitates vt dicitur pag. 29. & 30. Mirum eſt videre quod aduerſa vnicuique regno contigerint, cùm ad eius quadratos mundus peruenit vt inductione probatur pag. 31. Hæc & ſimilia tùm in figura vniuerſi, tùm in ſingularibus figuris regnorum ſtupenda prætermittunt qui hoc opuſculum calumniantur, & in eo potiſſimum læſos ſe dicunt, quod author Religionem Chriſtianam aſtris imputet, Id opere prætium eſt ad pondus ſanctuarij perpendere.

LICITVM

LICITVM FVIT AVTHORI, Chriſtianæ Religionis euentus cœlorum conſtitutioni conformes annotare, & has concordantias in publicum proferre.

CAPVT IV.

MALIGNVS de hoc libello ſparſus rumor qui plures mouit, etiam me reuocauit vt in illum exactiùs inquirerem, illamque maximè partem quæ eſt de Religione rigidiori probarem cenſurâ. Decurſis igitur & attentiùs perpenſis omnibus, in vniuerſum obſeruaui, quæ hic aſſeruntur de Religione Chriſtiana, eſſe vera, digna, ſplendida, in nullo contumelioſa ſed quæ piorum omnium fidei & votis reſpondeant. Vt verbum diuinum pro mundi redemptione incarnatum pag. 28. Religionem hanc eſſe legum omnium impletiuam pag. 44. Intellectum captiuantem in obſequium fidei pag. 43. Initio perſecutionibus vexatam, ſed poſtmodum florentem, & ex majorum ſuorum tormentis vitam habituram pag. 28. & 43. Scientiæ, Speculationi deditam pag. 28. poſt medium. Regum conciliatricem pag. 28. in fine. Latum imperium habituram pag. 43. in principio & 44. ſub finem. Paupertate diuitias quęſituram. Ibid. Piorum hęreditatibus ditandam. Ibid. ſub finem. Fœlicem maxima filiorum ſpiritualium propagatione. Ibid. in fine. Mundanæ & ſenſibus deditæ vitæ contrariam pag. 12. in fine, & 44. in medio. Miniſtris ſuis cœlibatum indicentem pag. 44. in principio. Hęc vera ſunt fidei & perfectionis Chriſtianæ fundamenta, quibus poſitis, nonne licuit ad eorum ornatum, vt ex cęteris ſcientijs, ſic ex Aſtrologia conuenientias quaſdam adſciſcere, & quis id contemnat, niſi tacitè reprobus inuideat veritati.

D. Thomas lib. 1. contra Gentiles, probat rationem humanam cum fide diuina poſſe conuenire; facilem, ſplendidiorem eſſe duplicis huiuſce luminis mixtionem, cùm vtrumque ab eodem principio procedat, Deo ſcilicet naturę & fidei authore. Hęc autem humana ſcientia, vel eſt abſtracta, Logico diſcurſu elicita vt fit in Theologicis diſſertationibus; vel eſt collecta per inductionem ex diuerſis ſcientijs & artibus. Ideo D. Bonauentura Opuſculum primum compoſuit de reductione artium ad Theologiam, ſic concludens. Patet, inquit, quam ampla ſit via illominatiua, & quomodo in omni re quę ſentitur, ſiue quę cognoſcitur, lateat ipſe Deus, & hic eſt fructus omnium ſcientiarum, vt in omnibus ędificetur fides, honorificetur Deus, componaotur mores, hauriantur conſolationes qoæ ſunt in vnione ſponſi & ſponſæ. Hęc Seraphicus Doctor. Chriſtiano viuere licet in paupertate, licet & in abundantia, inquit Clemens Alexandrinus; ſimplex poteſt eſſe fidei doctrina; poteſt eſſe & ornata, ſcientias, artes omnes humanas deuicto & ſpoliato Ægypto, poteſt in vſum, & decorem ſuum ſibi vindicare; poteſt captiuam, veſte mutata, raſis capillis & vnguibus, ſibi coniugio ſociare; quid ni debeat Theologica noſtra ſapientia, ſcientias cæteras, velut ancillas vocare ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, vt imperantem ſuo decorent comitatu, & pugnanti pro viribus auxilientur. Si nihil dicendum eſt de Religione Chriſtiana, niſi quod eius dignitatem æquare poſſit, nihil de illa dicendum eſt, quia nihil eſt in humanis quod infra ipſam non ſit poſitum. Deleantur ex libris antiquæ legis vmbræ & figuræ, taceat natura, ratio, ſcientia, ars omnis, quia reuelatio quam habemus à prima veritate ſolo ſilentio nobis erit veneranda, at, vt mox

Clemens Alexan. 1. ſtrom. c. 5. con. turbas & ſep. diſt. 37. & 39. Prou. 9. 3.

diximus, non hic fuit, ſanctorum procedendi modus, Imò vt non mentis tantum facultates, ſed etiam corporis membra, etiam res ratione ſenſuque carentes Deo litamus, ſic non tantum leges, ſcientias, artes, imo prauas etiam humanas conſuetudines, poëtica, fabuloſa, in Catholicæ veritatis patrocinium aut decorem, vbiquè tum antiqui, tum recentiores Eccleſiæ patres & concionatores proferunt. In hoc videntur

Pſ. 148. tur imitari regium Prophetam, qui creaturas omnes à ſupremo gradu ad infimum, à cœlis ad terram, & terræ nociuas etiam paſſiones, niuem, grandinem, ſpiritus procellarum, vt ſimul Deo laudis canticum intonent.

Baron. An. 557. Id vt Chriſtianus Imperator probaret eſſe licitum, in templo Sophiæ, id eſt diuinæ ſapientiæ Conſtantinopoli propoſuit menſam, ex auro, argento, omnis generis lapidibus, lignis, metallis, cunctiſque rebus, tam prætioſis quam vilibus, quas terra, mare, totus mundus fert, conflatam.

Lib. 2. de Doct. Chr. ſub fin. Id vocat D. Hieronimus in campo ſcripturarum ludere: & D. Auguſtinus, optandum inquit eſſet, vt ſicut ſciunt homines, vtilibus ſumptis inimica reſpuere, ſic ex communibus veritati profutura ſeligere; ex omni profundo maris margaritas elicere; ex omni arbuſto flores & fructus, Triumphum agentibus plus placebat plebis infimæ, fauſta liberaque conclamatio, quàm oratorum meditata, pretioque conducta panegyris.

Ex hoc ſcientiarum, artium, morum, rerum omnium corona ad celebrandas fidei Chriſtianæ laudes, cur excludunt Aſtrologiam, ſublimem, antiquiſſimam, hominique Deo reuelante notam diſciplinam? Illa Patriarchas ad Dei, ſumma ſapientia, medijſque ordinatiſſimis omnia regentis cultum adduxit. Quod ſi poſteri, vicariam vim cœleſtium pro primaria coluerint, ſi hinc in Idololatriam lapſi ſunt populi; liceat nunc illi præteritorum ſæculorum ſenſus falſi conuincere, immeritò delatam ſibi gloriam, in Deum principem ſuum refundere, & tantum tribuere religioni, quantum olim occaſione ſuâ detractum eſt. Cur non liceat vt paganorum opes, templa, ſcientias, ſic Matheſim expiare, conſecrare. Ex Propheta liceat cœlis enarrare gloriam Dei, etiam Chriſti, qui voluit primum à ſtella prænuntiari, ab aſtrorum peritis adorari, ab illis munera accipere, quæ ſortem omnem humanam ſignificent, aurum vitæ, thus Religionis, myrha mortis. Hi votis expletis redeunt in regionem ſuam, id eſt ad idem ſtudium, quod experti fuerant, tam fœlix fauſtumque pietati. Aliâ tamen viâ reuertuntur, ſcilicet mente, non vt prius ambiguâ, ſed fide certa, ſpe ſecura, charitate feruida, ſatis inſtructa vt deludat tyrannidem, ipſos auertere, & eo quòd emineant, deijcere conantem. Cœlum domus Dei eſt ad cujus exemplar Moyſes tabernaculum, Salomon templum conſtruxit, cum igne perpetuo, ſeptifido candelabro, cæteriſque cæremonijs quæ cœleſtia referebant, cœlum cœli Domino, ibi ſedet quotidie preces tuas auditurus, ex alto nunc mortalia circumſpiciens, aliquando judicaturus, cœlum Dei ſolium, templum, ſanctum eſt ad illud oculos manuſque tollunt qui orant, hinc toties deſcendit ſacer ignis, qui Patriarcharum ſacrificia probauit, qui diſcipulorum Chriſti corda ſuccendit; Illic viget Hierarchia, Eccleſiaſticæ noſtræ forma & idæa; hinc proceſſit verbum ſalutis noſtræ principium, illic regnantis ſperamus nos aliquando mente & corpore, futuros gloriæ conſortes, tandem quæ diuina ſunt, nuncupamus cœleſtia, & diffidis cœlum cum Religione conuenire?

Philo Iudæus lib. 1. & 2. de Monarchia totus eſt in exponenda templi Hieroſolimitani & veſtis ſacerdotalis fabrica, cœlo quantum fieri potuit aſſimilata.

Lib. de diuin. nominib. D. Dionyſius, fusè ſatis pro ſtyli ſui in cæteris compendioſa majeſtate Deum, ſoli comparat, Chriſtum ſolem juſtitiæ,

Beatam Virginem & Eccleſiam, Lunam ſtellam maris pietas vbique perſonat: diuinam gratiam Lucifero, id eſt Veneri S. Petrus comparat, 2. Pet. 1. quid ni potuerit author in his quæ contigerunt in Religione Chriſtiana, annotare conuenientiam quandam cum occurrente tunc cœlorum diſpoſitione; ſi hæc ex Aſtrologiæ preceptis ritè conſonent, plaude fœliciter inuentis, ſin minùs, argue defectum ingenij non pietatis, cùm vera, vt diximus, & digniſſima de Religione Chriſtiana proferat; quod ſi non probas hæc Aſtrologiæ quæ illi ad ſplendorem conferre voluit ornamenta, ſaltem relinquetur nuda fides, & optimus quem profitetur de Religione ſenſus.

At, inquis, hic author aliquid tentat vltra ſolitas ſcientiarum ad Theologiam applicationes, ab Eccleſiæ patribus & concionatoribus innocenter factas, nam Religionem, vt res cęteras, videtur fato, & aſtrorum viribus ſubijcere. Reſpondeo id eſſe penitus alienum ab authoris intentione. Nam in fato vniuerſi pag. 19. 28. iterata ad faſtidium vſque confeſſione proteſtatur, ſe nihil ab Eccleſia diſſonum velle aſſerere; Religionem ab aſtris non pendere; ſed ſumma Dei prouidentia fieri, vt tales euentus, cum aſtrorum poſitione concordent, modis quos cæca mens mortalium non capit. Cum vides D. Auguſtinum, D. Ambroſium, D. Gregorium, cæteroſque Patres paſſim laborantes in myſtica numerorum expoſitione, quæ conueniat cum his quæ Chriſtus geſſit, vt de jeiunio quadraginta dierum, de eo ſanato qui triginta octo annos habebat in infirmitate, de ſeptenario & octonario numero. Et ſimilibus, an propterea dices eos ſequi ſectam Pythagoreorum aſſerentium numeros eſſe rerum principia, & talibus Chriſti virtutem aut doctrinam ſubijcere. An dices D. Auguſtinum, animam aſſerere corpoream, quia potentias eius comparat figuris Mathematicis, libro de quantitate animæ; vt igitur in probatis authoribus ſubtilem rerum ſpiritualium cum figuris & numeris, ita hic cum cœleſtibus concordiam, non debes vanitati, crimini, ſuperſtitioni adſcribere. Conuenientiæ quędam ſunt, quas vt dicit author pag. 19. licet mirari, ſicut plurimos effectus, quorum cauſæ nobis ſunt ignotæ.

Hæc generaliter dicta ſufficere poſſunt ad probandum, authorem non peccaſſe in Religionem, cùm quædam eius myſteria obſeruauerit corporum cœleſtium diſpoſitioni conformia. Quod ſi pertinaci, & in vlteriora procedente curioſitate, à me quæras vnde fit vt tot euentus aſtris concordent, fateor arcanum eſt prouidentiæ mihi non ſatis notum, me tamen humiliter Eccleſiæ ſubijciendo dicam quatenus hæc mihi videantur poſſe fieri, ſalua Dei & hominum libertate, ſed prius obſerua.

DE ORDINE SÆCVLIS à Deo poſito.

CAPVT V.

OMNES quibus ineſt verus Religionis ſenſus, confitentur & adorant Deum ab æterno bonum, ſapientem, infinitæ ſuæ perfectionis tumulo, cui nihil addi, nihil detrahi poteſt; immenſis gloriæ ſuæ ſplendoribus à principio, cui non eſt ante, nec poſt, ſemper ſemperque fœliciſſimum. Ipſe æternus immutabilis rebus omnibus à ſe creatis, qualiter in tempore mutari debeant, leges dixit. Molem iſtam, inquit *Tertulia. Apolog. c. 17. 18.* Tertulianus, cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum, verbo quo juſſit, ratione qua diſpoſuit, virtute qua poſuit, de nihilo expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ; Verus Prometheus, qui ſæculum certis temporum diſpoſitionibus & exitibus ordinauit. *Actu. 17. 24.* Apoſtolus loquens coram Athenienſium Senatu, Deus, inquit, cœli & terræ cum ſit Dominus, fecit ex vno omne genus hominum habitare ſuper vniuerſam faciem terræ, deficiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum. Orbis vt creator, ſic moderator, gentes & imperia transplantat, ſicut hortulanus arbores & olera. Monarchiam Aſſyriorum *Rom. 13.* tranſtulit ad Perſas, à Perſis ad Græcos, à Græcis ad Romanos. *D. Augu. lib. de ciuit. c. 21.* Non eſt poteſtas niſi à Deo, inquit Apoſtolus, & quæ ſunt à Deo ordinata ſunt. Et D. Auguſtinus, non tribuamus, inquit, dandi regni atque imperij poteſtatem niſi Deo vero, qui dat fœlicitatem regni cœlorum ſolis pijs, regnum verò terrenum, & pijs & impijs, ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet. Hinc apud omnes populos ſacra, & à Dei miniſtris facta regum inauguratio; & ipſi inter potentiæ ſuæ titulos illum prius proferunt, eſſe à Deo. Non gentes, non regna tantum mutat Deus, ſed quod mirum eſt, leges Religionis, ſacraſque cæremonias, quæ cum eſſent ab ipſo & ad ipſum, cum eſſent pro regimine immortalium animorum, pro conſequenda æternitate, videbantur immunes eſſe debere à corporalium rerum mutationibus.

D. Augu. Epiſt. 5. Hanc quæſtionem Marſellinus vir illuſtris proponit D. Auguſtino diſcutiendam, Cur Deus qui & veteris teſtamenti Deus eſt, ſpretis veteribus ſacrificijs, delectatus ſit nouis, nam quod ritè factum fuit, non videtur corrigendum. Vt reſpondeat Sanctus Doctor dubitantem jubet obſeruare rerum naturam & opera humana, quæ certâ ratione pro temporum opportunitate mutantur, cùm tamen ratio quâ mutantur, ſit immutabilis: Nonne, inquit, hyemi æſtas addito ſenſus calore ſuccedit; nonne diurnis tempora nocturna vertuntur; quoties noſtræ variantur ætates, adoleſcentiæ pueritia non reditura cedit, juuentus adoleſcentiæ non manſura, ſuccedit finiens juuentutem ſenectus, ſenectus autem morte finitur. Hæc omnia mutantur, nec mutatur diuinæ prouidentiæ ratio, qua fit vt iſta mutentur. Non mutatur agriculturæ ratio cùm agricola æſtate aliud juſſerit, quàm juſſerat hyeme. Et cùm manè ſurgit, qui nocte quieſcebat, vitæ conſilium non mutauit; aliud magiſter adoleſcenti, quam puero ſolebat, impoſuit; peritus medicus ſeni non eadem dabit remedia, quæ puero dederat. Igitur ratione & artibus non mutatis, aliquid ſecundum eas, pro *temporum varietate* mutandum eſt; ſic enim fit pulchrum & decens, ſi temporibus conueniat. Aptum fuit primis *temporibus* ſacrificium quod præceperat Deus, nunc verò non ita eſt, nouit enim quid cuique *tempori* accommodatè adhibeatur; quid, quando impertiat, addat, auferat, detrahat, augeat; minuatue, immutabilis mutabilium, ſicut creator, ita moderator, donec

vniuerſi

vniuerſi ſæculi pulchritudo, cujus particulæ ſunt quæ ſuis quibuſque *temporibus* apta ſunt, velut magnum carmen cujuſdam ineffabilis modulationis excurrat, atque inde tranſeant in æternam contemplationem ſpeciei qui Deum rectè colunt, etiam cum tempus eſt fidei. Hæc D, Auguſtin. loco citato, & lib. 83. quæſtio. q. 44. dicit dilatam fuiſſe incarnationem in tempus congruum; Nam, inquit, vniuerſi pulchritudo rebus decedentibus & ſuccedentibus peragitur, & Deus gloriæ qui eſt prima pulchritudo, vt homini, ſic mundi ætatibus conuenientem dedit pulchritudinem. Idem tract. 38. in Ioannem, Imperitos arguit qui in hac breui vita non valent contexere cauſas ſæculorum, quas experti non ſunt; cum his quas ſunt experti, non aduertunt in vno corpore certis partibus quædam conuenire quæ non alijs, nec ocreas capiti, nec galeam pedibus. In domo varius eſt habitus perſonarum, momentorum, officiorum, ſæpius non conceditur veſperè venale eſſe, quod manè conceſſum eſt.

In his omnibus ſublimis doctor ſupponit ratam ab æterno temporum & ſæculorum ſeriem, cui Deus prouidentiæ ſuæ effectus accommodat, & reſpondentes efficit; vt ex illa conuenientia procedat vniuerſi pulchritudo. Voluit quidem ab æterno illa tempora eo ordine decurrere, ſed illis ſic poſitis, & decretis, quæ illa benè deceant, largitur & efficit. Vt ſupponit diem & noctem qui in illis ſe ad actionem aut quietem vult componere: agricola ſupponit hyemem, ver, æſtatem, cùm ad temporis opportunitatem differt propria artis ſuæ munia, ſerendi, metendi, colligendi. Poëta ſupponit ſeriem breuium & longarum ſyllabarum, quibus conſtare debet verſus, tum his legibus alligat verba, quæ mentem ſuam explicent. Sic tempora ſic ſæcula ſupponit Deus, quibus ea quæ ſucceſſiuè fiunt aptat; ſupponit autem non quia ſint externa quadam & à ſe non pendente neceſſitate, vt eſt dies & nox reſpectu noſtri, hyems & æſtas reſpectu agricolæ, pueritia & adoleſcentia, reſpectu magiſtri, ſed æterno ſuo decreto hunc ſæculorum & temporum ordinem poſuit immutabilem, immutabilis, mutabilium vt creator, ſic moderator. Pictori primò liberum eſt in tabula raſa exprimere quod voluerit, vbi tamen ſemel ex libero ideæ ſuæ decreto, loca perſonarum, ædificiorum, camporum deſignauit, id poſtea totum ex artis ſuæ regulis aptis vbique coloribus & vmbris exequitur, neceſſe eſt, inquit Seneca, eadem Deo placere, cui niſi optima placere non poſſunt, nec ob hoc minus liber & potens eſt, ipſe enim eſt neceſſitas ſua. *Lib. 1. nat. qu. in præfat.*

QVÆ DEVS AB ÆTERNO DECREVIT, exequitur in tempore medijs cælorum viribus.

CAPVT VI.

D. Auguſtinus locis citatis expreſsè loquitur de temporibus & ſæculis quaſi de rebus certis, ordinatis, quibus ſingularia mutabilia ſibique ſuccedentia debent conformari. At quid eſt aliud tempus, quid ſæculum, quàm numerus motus cœleſtium corporum, quæ variè diſtincta; variè à Deo donata locis, lationibus virtutibus mirabilem efficiunt harmoniam, & dum per vices motuque circulari circumacta mundo dominantur, determinant tale tempus & ſæculum. Bonum ipſum inquit D. Dionyſius, eſt cauſa cœleſtium principiorum, atque definitionum, hujus videlicet ſubſtantiæ, quæ nec augeri, nec minui, nec omnino variari poteſt. Cauſa rurſum vt celerrimus motus orbis immenſi, ſine ſtrepitu peragatur. Hinc præterea ſyderum ordines, decores, *Lib de nominib. diuinis.*

lumina, firmitates, hinc planetarum permutatio multiplex, hinc Solis & Lunæ circuitus ab eiſdem ad eadem perpetuo reſtitutus. Quibus ſanè reſtitutionibus, apud nos dies & noctes, menſeſque & anni definiuntur, quæquidem definitiones, reliquos orbiculares motus, tàm temporis quam temporalium determinant, numerantque, & ordinant atque continent. Hæc breuiter exponit Cuſa Cardinalis, menſuratur, inquit, tempus ex motu ſyderum, & ex cognitis in tempore, menſuramus abſcondita. Id ſine dubio ſenſit D. Auguſtinus res præcipuas quæ ad homines pertinent, agente, prouidente Deo cœleſtium diſpoſitionibus à principio poſitis conformari, ſicut corporis partibus jam exiſtentibus aptantur veſtes & ornamenta, & vt inquit, galea non eſt apta pedibus, ſic quod vni ſæculo conueniens eſt, alteri non eſt congruum. Non explicat autem Sanctus Doctor qualis ſit, & quomodo fiat illa conuenientia, dicit enim loco ſupra citato, ea quæ fiunt ſuis quæque temporibus apta, particulas eſſe vniuerſæ pulchritudinis, & ineffabilis cujuſdam modulationis quæ ſua varietate mentibus humanis ſuauiter explicant & jam quodammodo fruendam offerunt omnia cõplicantem æternitatem.

Lib. 3. excit. cap. 25.

Quod D. Auguſtinus dicit ineffabile, D. Thomas conatus eſt aſſequi, dum diſertis verbis dicit, quod etſi Deus ſeipſo mundum creauerit, licèt ſeipſo quo ad ordinationem regat, tamen quo ad executionem, vtitur corporibus cœleſtibus velut inſtrumentis. Nam oportet, Inquit, omne multiforme & mutabile & deficere potens, reduci ſicut in principium, in aliquod vniforme & immutabile, & deficere non valens. Itaque diuina prouidentia, non tantùm ſæculis id eſt cœlorum diſpoſitioni ſucceſſiuè mundo dominanti, conformat ea quæ ad homines pertinent, ſed etiam ad ea ſic conformanda, vtitur eadem cœli diſpoſitione, ſicut hortulanus horti ſui partes, primo ex artis ſuæ præceptis diſponit; tum illas ornat congruis floribus & arboribus. Sed flores & arbores ſic colit, vt ab ipſa terra quam ornant, ſuccum quo vegetent, mutuentur. Quid admirabile videri debet, inquit D. Baſilius, ſi nos qui portio ſumus qualiſcumque vniuerſi, in eorum partem venimus quæ ſunt propria mundo. Et Arnobius lib. 1. aduerſus gentes, reſpondens calumniantibus Chriſtianos quod eſſent cauſæ malorum quibus orbis premeretur, aſſignat illa cauſis naturalibus, & præcipue cœleſtibus, quid, inquit, ſi ſyderum motus, certis ſignis, partibus, temporibus, lineis pariunt hæc mala, & ſubjectis afferunt variorum diſcriminum neceſſitates? Quid ſe ſtatis temporibus rerum viciſſitudines fiunt; atque vt in maritimis æſtibus, modo ſecundæ res affluunt, modo rurſus effluunt, malis reciprocantibus proſpera?

Lib. 3. contra Gentiles cap. 82. 83. Cap. 91.

D. Baſil homilia in martyrem Iulitam.

Cum autem Religio ſit maximum in humanis negotium, cùm ad eam pertineat mores regere, virtutes cordibus implantare, hominem ad vltimum ſuum finem ducere, non eſt inconueniens vt à Deo detur cum quadam electione temporum & ſæculorum. Vnde locis ſupra citatis D. Auguſtinus expreſsè notat propter hanc cum diuerſis ſæculis congruentiam, Deum voluiſſe homines initio mundi vixiſſe ſub lege naturæ, poſteà ſub lege Moſaïca, tandem ſub Euangelica & ideò dilatam fuiſſe incarnationem verbi. Finis legis Chriſtus, qui venit legem omnem naturalem & ſcriptam non ſoluere ſed adimplere; principium, primogenitus omnis creaturæ, finis myſteriorum omnium conſummatio, per quem & propter quem omnia facta ſunt, vt reſtituat in ſuum principium, & hoc titulo nobis, licèt infirmis, tamen homini Deo confœderatis, creatum omne famulatur. Et miraris, ſi natus ſit in confinio temporum, ſcilicet in fine primæ profectionis mundanæ, qui figuris finem, veritati daturus erat initium, vt in ſequentibus ſæculis nouam efficeret creaturam. Et miraris ſi cœli his ſuis periodis panegyrim pronuntiarint

Ro. 10. 4.

naſcenti; qui cum Angelis noua ſua luce hymnum gloriæ dixerunt. Miraris ſi cœlum terræ beneficum, illi luce & influxu, inuitâ diſtantiâ, conjunctiſſimum; miraris ſi totum cœlum, corpore & ſpiritu, ſcilicet cum ſuis motoribus, perfectum laudis ſacrificium obtulerit verbo diuino naturam humanam aſſumenti, ſaluanti, perficienti, ima ſummis conjungenti? Ad finem ergo legis Chriſtum honorificè ſuſcipiendum vt tota natura in homine reparanda innumerijs prodigijs ſe diſpoſuit, vt venientem ſenſerunt omnes creaturæ, Prophetæ, Sybillæ, etiam dæmones, cur non dicamus cum Apoſtolo aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt huic myſterio dignè celebrando congruerent? Non fuit igitur impietas in authore ſi eorum quæ in Religione Chriſtiana decurrentibus ſæculis contigerunt conuenientias quaſdam quæſierit in cœlorum diſpoſitione qua diſtinguntur ſæcula. Supponendo quod Deus vtitur cœleſtium viribus ad æternæ ſuæ ideæ, ſapientiæ, prouidentiæ executionem, ſupereſt obſeruare an quæ refert author de Chriſtiana Religione, de qua potiſſimum maledici mouent quæſtionem, cœleſtibus conueniant, ex peritorum hac in ſcientia, regulis.

D. Hier. in Mat. 8 Heb. 11.

QVÆ SINT PRÆCIPVÆ CORPORVM cœleſtium differentiæ, quibus velut diuinæ prouidentiæ inſtrumentis variantur inferiora.

CAPVT VII.

NON immoror in probanda quæ in cœlis eſt varietate, hanc enim ipſimet ſenſus deprehendunt. Quilibet videre & ſentire poteſt, Solem à Luna differre, Lunam à ſtellis, ſtellas inter ſe, cœleſtiaque corpora, loco, motu, luce, calore, virtute ab inuicem diſtingui; ſed quales ſint illæ vires ſcientia particularis ſcilicet Aſtrologia ſpeculatur. Ab illa diſcimus opificem mundi Deum diuerſis cœli, ideſt zodiaci partibus vires indidiſſe, alias duabus qualitatibus ſimiles, alias ſemi-ſimiles, alias in totum pugnantes & contrarias. Diuide circulum & ambitum hunc in tres partes æquales, ſigna in illis exiſtentia ſunt eiuſdem penitus naturæ, vt ignea Aries, Leo, Sagittarius. Terrea, Taurus, Virgo, Capricornus. Aërea, Gemini, Libra, Aquarius. Aquea, Cancer, Scorpius, Piſces. Et hoc eſt Sanctiſſimæ Trinitatis in cœlo veſtigium. Hæc eſt ratio cur aſpectus qui vocantur trini ſunt omnium fœliciſſimi, cùm ſcilicet planetæ in angulis trianguli poſiti, ſigniſque eiuſdem naturæ amicos miſcent radios, ſimilium enim facilis & potens vnio. Hunc eundem circulum diuide in ſex partes, ſigna in ſingulis poſita, vnâ tantum qualitate concordant, vt Aries & Gemini in calore &c. diuide in quatuor partes, vel per diametrum ſigna ſunt inter ſe contraria, vt Aries igneus, Cancer aqueus, & ideo Planetarum ex illis partibus ſe reſpicientium influxus habentur infœlices, quia non conueniunt, ſed pugnant. Variantur etiam ſignificationes pro ratione duodecim domorum, ſeu partium cœli, quarum expoſitionem vide apud authorem p. 13. Fati.

Septem planetæ diuerſas etiam habent virtutes, Saturnus eſt frigidus ſiccus, Iupiter calidus humidus, Sol ſimiliter calidus ſiccus, ſed calore magis temperato & viuifico; Venus humida calida, Mercurius varius, Luna humida frigida. Has qualitates habent intenſiores aut remiſſiores pro natura ſignorum & aſpectuum, & cum quilibet planeta habeat motus ſibi proprios, fit vt numquam in totum ſibi ſimilis redeat cœli ſtatus. Hinc contingunt in inferioribus alterationes, mixtiones,

generationes innumeræ ordine certo, ſed diuinæ ſapientiæ tantum noto. Ex cœleſtium propria eſſentialiter immutabili virtute, ſeruantur ſpecies, ex accidentali diuerſitate, alterantur indiuidua.

Omnes illæ vires cœleſtes in ſe & ratione vniuerſi, ad cujus perfectam harmoniam conferunt, ſunt bonæ. Vidit Deus quæ fecerat, & erant valdè bona, non tamen omnes conueniunt ſingularis hominis temperamento, ſed nocent illi quæ qualitatibus ſuis exceſſum inferunt, vt Saturnus frigoris, Mars caloris, ideo dicuntur infortunæ. Partes etiam cœli vnicuique rei naſcenti ſunt conuenientes aut contrariæ prout habent reſpectum ad partem in qua nata eſt, bonæ ſi ſint in trino aſpectu vt diximus, ſemi bonæ in ſextili, malæ in quadratis & oppoſitione. Nati in ſignis aqueis, hoſtilia habent ſigna aquea, & patiuntur ab his qui in illis nati ſunt &c. ſic vnaquæque res naſcens habet ſibi proprium cœlum, & pars cœli, ſeu planeta vni fauens, alteri nocet. Hæc oportuit generalia delibaſſe, vt appareat quomodo cœlum ſit aptum inſtrumentum, ad bonum aut malum inferendum. Et id dum ſuis inuolucris tegunt, ſignificant tamen fabulæ Prothæi in varias ſe formas mutantis; Pandoræ, aperta pixide bona malaque per orbem deffundentis; Iouis ſedentis inter duo dolia, proſperis & aduerſis referta in quæ nunc hac nunc illâ conſultò manum mittens, variam efficit mortalium ſortem. Anouere videtur Propheta dicens, hunc humiliat, & hunc exal-
Pſal. 49 tat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, veruntamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.

QVOMODO COELESTIA CORPORA agant in ea quæ ſunt hominis ſalua eius libertate.

CAPVT VIII.

VT intelligas quomodo cœlum, his quas expoſuimus, alijſque viribus proſperis aut nocentibus inſtructum, neceſſariò quidem moueatur, ſed non neceſſariò hominem afficiat; finge tibi artificem qui coram ſe rotam habeat ſemper volubilem, cujus extima ſuperficies ſit diſtincta partibus, alijs planis & leuigatis, alijs aſperis, radentibus, incidentibus, alijs quæ figuras regulares, irregulares, plantarum, animalium imagines præ ſe ferant; licet hæc rota ſemper moueatur, non ſemper leuigabit, aut lędet, non ſemper dictas imagines imprimet, ſed tantum cùm materia illi ſe vltrò ſubjecerit, aut artificis manu fuerit apposita. Aliud ſit exemplum, nouit agricola Lunam multum poſſe ad ſationes cùm ad plenitudinem accedit, ſatum quippe tunc humore turgidum citiùs germinat. Scit etiam ligna ædificijs apta ſcindenda eſſe, dum Luna lumine deficit, quia tunc, cum minus habeant humiditatis, minus patent corruptioni: & ſi Luna plena oportunè feratur, non tamen ſemper ſeritur, non ſemper ea deficiente ligna cęduntur; ſed penes agricolam eſt, opportunum hoc tempus operi ſuo perficiendo ſeligere. Ita eſt, voluuntur cœli neceſſariò, lege ſibi à Deo data; oritur Sol &
Eccl. 1. 6 occidit & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu, pergit ſpiritus & in circulos ſuos reuertitur, hęc rota circumfert tibi nociuas aut fœlices qualitates. Vis cœleſtis toto animalis eſt, inquit Paracelſus. Vnde partes zodiaci primi mobilis & octauæ ſpheræ animalium figuris & nominibus deſignantur, minus tamen ſigna humana; ipſi etiam ſuperiores planetæ ferinam vim habent, niſi ratione temperentur; ſed qualeſcumque

leſcumque ſint illæ vires, tibi non nocebunt, niſi tua aut Dei volnntate, huic rotæ ſis ſubjectus, & eius impreſſionem recipias. Hi ſunt dno modi quibus homines aliquid pati poſſunt à cœlo.

Quoad primum, communis Catholicorum omnium doctorum eſt ſen- [*D. Thom. locis citatis.*] tentia cœlum, cum ſit corpus ſupremum & nobiliſſimum in inferiora corpora agere, & ſic in corpus hominis, non autem in animum, qui eſt alterius ordinis, ſpiritualis ſcilicet, liber, immortalis. Hac libertate non modo mentem ſed etiam corpus, poteſt ſi non in totum, ſaltem in multis à communi rerum corporalium lege vindicare. Nam licèt ordinatione [*Gen. 8.*] Dei cunctis diebus terræ frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcant, poteſt homo æſtate frigeſieri, hyeme caleſieri, die obtenebrari, per noctem accenſis luminibus illuſtrari. Quamuis inſtet acutæ febris periculum à Marte, quartanæ à Saturno, poteſt contra ſe remedijs & diæta præmunire, & contra cæteros à cœlo caſus, de quibus Campanella libro de ſyderali fato vitando. Poteſt inquit Ptolomæus, qui [*In Centiloquio nu. 5. 8. & 10.*] ſciens eſt, multos ſtellarum effectus auertere, quando naturam earum nouerit, ac ſeipſum ante illorum euentum præparare. Nec tantum fati vim frangit, ſed etiam illi dominatur, cum poſſit vti maleficis, ſicut optimus medicus venenis ad curationem, & cœli, velut cæteras naturæ vires arte moderari, corrigere, perficere propterea idem in proœmio, vtiliſſimam dicit eſſe Aſtrologiam, vt eius beneficio tela præuiſa aut vitentur aut minus feriant. Condenſentur licèt & vndique ruant in ſapientem, inter illa poteſt illæſus eſſe animus, libertatis, virtutis ſuæ priuilegio fidens, erectus, etiam victor. Si ex D. Auguſtino proſpera & aduerſa, ſunt in mundo velut in carmine ſyllabæ longæ & breues, vt poëticæ peritus poteſt eadem metro aptare verba quæ contrarium ſignificent, pro bello & pace loqui; ſic poteſt vir bonus rebus ſeu ſecundis ſeu aduerſis eundem ſibi animum ſeruare, omnia in ſuum colorem trahere; etiam de tentatione facere prouentum. At ſi cadere velit è gradu ſuo, ſi paſſionibus ſuis obſequatur, ſi corporeis totus mente & affectu adhęreat, denique ſi ſic de rationali fiat ſenſibilis, quid mirum ſi à cœleſtibus patiatur cum huic rotæ materialia afficienti vltro ſe ſubijciat. Ita Deus homines diluuio deleturus dicit, non permanebit in illis ſpiritus meus, quoniam caro ſunt. A cœlorum maligna vi, tunc interitum per aquas corporibus minitante, non eximit homines, quia in corpoream ipſi naturam tranſierant.

Hic eſt ſecundus modus quo homines afficiuntur à cœlo, cum ſcilicet Deus illo vtitur velut inſtrumento prouidentiæ ſuæ, rebus ab ipſa peragendis aptiſſimo. Sicut dictus artifex volens materiam diſpoſitam aut leuigare, aut radere, expectabit donec rota motu ſuo partes leuigantes aut radentes afferat, & manibus ſuis præſentes efficiat. Vult Deus meritis beneficium conferre, differt ad tempus quo cœlum ad id congruit, per fœlicium planetarum corpora aut aſpectus per directionem aut alijs modis occurrentes. Cuncta fecit bona in tempore ſuo, vt dicitur Eccleſ. 3. & Iob. 24. ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora. Dicit Dauid, Domine in cœlo miſericordia tua, illam enim per cœlos exercet, tempus miſerendi eius venit, & paſſim ſacra ſcriptura loquitur de tempore miſericordiæ in quo velut opportuno Deum pro peccatis orat om- [*Pſ. 101.*] nis ſanctus, veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Cur arcum ſuum tetendit, & parauit illum, & in eo pa- [*Pſal. 31.*] rauit vaſa mortis, tunc tempus eſt iræ, vindictæ, indignationis, belli, ad quod diu expectatos ad pœnitentiam peccatores puniendos diſtulit, & tandem maleficis, corpore aut aſpectu occurrentibus, velut rotæ volubilis dilaniantibus partibus ſubijcit; Tempus poſuit tenebris, & vniuerſorum fines conſiderat, inquit Iob. Deus judex juſtus, fortis & patiens, [*Iob. 28.*]

Pſal. 7. numquid iraſcitur per ſingulos dies. Non erat, inquit ſapiens, impoſſi-
Sap. 11. bilis manus tua quæ de nihilo cuncta creauit, vt mille modis ingratum
in deſerto populum deleret, ſed omnia in pondere, numero, & menſura
diſpoſuiſti, quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis
terrarum. Dum autem nondum adeſt tempus vindictæ, dicitur Gen. 15.
de Amorhæis, quod nondum completa eſſet eorum iniquitas, & Math.
23. vos implete menſuram patrum veſtrorum. Deus vt mari, ſic iniqui-
tati terminos poſuit dicens, huc vſque venies, & confringes tumentes
fluctus tuos: quales autem ſint illæ nociuæ vires, quibus delet impios in
Deut. 32. die iræ ſuæ explicat, fel draconum, & venenum aſpidum inſanabile,
nonne, inquit, condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis, vt
ſcilicet Saturno, Marte, Hydrâ, Algol, Scorpione, congruis vtatur
temporibus.

Non quidem ſemper pereunt homines & gentes cum infœlix illi cœ-
lorum ſtatus occurrit, quia id pendet à libero Dei decreto, à juſtitię ſuæ
nulli mortalium nota ſententia, poteſt enim hos effectus impedire in ſan-
ctis, ſicut liberauit Noë de diluuio, Loth à Sodomis; ſaluos etiam efficit
peccantes, ſi ad ipſum conuertantur, vt infra dicemus, ſi tamen velit
illos punire, ſolet vti hoc infauſto cœlorum ſtatu velut tortore, vt vtitur
igne ad conflagrationes, aquis ad diluuia, & armat omnem creaturam
Sap. 3. ad deletionem impiorum. Fit tamen ſępius (notat author pag. 31. & 32.)
vt priuatis hominibus ſeu regnis mala contingant, cum occurrunt male-
fici corpore aut aſpectu, tum quia plures ſequantur ſenſum, & ſic ſemet-
ipſos corporibus cœleſtibus ſubijciunt, vt dicit D. Thomas lib. de ſor-
tibus, tum quia Deus permittit vigere leges vniuerſo vel regionibus à
ſe poſitas, vt ſi tunc occurrat infauſta cœli conſtitutio, eadem vtatur, vt
& malos puniat, & electos ſuos velut igne probet, donec verum colli-
In Apo- gant robur. Tertulianus loquens gentibus dicit, non pręcipitat Deus
leg. c. 41. diſcretionem antè, qui deſtinauit poſt ſęculi finem; Æqualis interim eſt
ſuper omne hominum genus, & indulgens & increpitans; communia
voluit eſſe, & commoda prophanis, & incommoda ſuis, vt pari conſortio
omnes & lenitatem ipſius, & ſeueritatem experiremur, quia ęquitatem
diſcimus apud ipſum, diligimus leuitatem, metuimus ſeueritatem, vos
contra vtramque deſpicitis, & ſequitur vt omnes ſęculi plagæ nobis
ſi fortè in admonitionem, vobis in caſtigationem à Deo obueniant. Lo-
quitur de ſæculi plagis, quas ęqualiter boni, malique communi ſorte,
ſed merito, fineqoe longè diſpari patiuntur. Carne cum cæteris con-
D. Cypr. junginiur, inquit Cyprianus, ſpiritu ſeparamur, ſuntque nobis, cum hu-
lib. de mano genere incommoda communia; ſic cum fœtu ſterili terra jeiuna
mortali- eſt, neminem fames ſeparat; ſic cum irruptione hoſtili ciuitas aliqua
tate. poſſeſſa eſt, omnes ſimul captiuitas vaſtat, & quando imbrem nubila
ſerena ſuſpendunt, omnibus ſiccitas vna eſt, & cum nauem ſcopuloſa
ſaxa confringunt, nauigantibus naufraginm, ſine exceptione commu-
I queſt. ne eſt. Propterea ſi de pace, bello, vel cæteris quæ ad Rempublicam
q Sil. 3. pertinent, ex aſtris conjectura fieri debeat, monet Cardanus, judicium
ſumendum, non ex figuris regum, ſed regnorum, quia publica priuatis
Plot. con- præferuntur, quantitatis, dignitatis, prioritatis priuilegio, prius enim
tra gno- intenditur vniuerſale, illique accedunt ſingularia, in poſterum naturam
ſticos eius ſequutura. Naſcimur reſpectu corporalium in aliena poſſeſſione,
c ip. 4.
Lib. 1. idque nobis ſequendum, non immutare præſumendum, quod antiquis
aduerſus conſtitutionibus fixum eſt, inquit Arnobius. Summus ille vitis agricola
gentes. aliter parat falcem ſarmentis fructuoſis, aliter infructuoſis, tamen non
D. Aug. parcit nec probis, nec improbis, cum tempus putationis aduenit, illis
lib. 22. purgandis, illis amputandis. Nullus enim hominum eſt tanta juſtitia
contra præditus cui non ſit neceſſaria teotatio tribulationis, vel ad perficien-

dam, vel ad probandam virtutem. Sic Deus Iob virum juſtum exagitan- *Fauſtum*
dum tradidit Satanæ; aliqui dicunt Saturno, & Angelos qui illic, & Za- *c. 4.*
chariæ 1. deſcribuntur circuire terram, eſſe planetarum motores An- *lib. 1.*
gelos, quos mundi gubernatores & viſitatores à Deo præpoſitos vocat
Triſmegiſtus; & ex officij nomine aſtra matutina vocat eos Iob. cap. 38.
Nam durum videtur credere Satanam ex abyſſo ſingulis diebus ad con- *Pyma.*
ſpectum Dei adduci, mandata eius excipere, & eum circuire terram, *c. 10.*
qui ligatus deſcribitur. *Apoc. 20.*

Diximus quomodo cœleſtia corpora agant in hominem ſalua eius libertate; quomodo tales influxus poſſint vitari, arte, prudentia, pietate, tandem Dei cœlorum & hominum creatoris imperio: quod ſi tales effectus contingant vt plurimum, cœleſtibus diſpoſitionibus conformes, ſicut patet in qualibet figura vniuerſi & regnorum, id fit eo quod Deus poſitum à ſe ſæculis ordinem, ordinariè non mutat, ſed eo ad miſericordiæ aut juſtitiæ ſuæ executionem, velut inſtrumento ſolet vti. Vnde nobis certa prouidentiæ ſuæ fides, bonitatis argumentum, vindictæ metus.

EORVM QVÆ IN RELIGIONE Chriſtiana contigerunt quædam breuiter recenſitæ conuenientiæ cum cœlorum tunc occurrente diſpoſitione.

CAPVT IX.

CVM ſupra probauerimus, inconueniens non eſſe, Deum vti corporibus cœleſtibus in his etiam quæ pertinent ad Religionem, ſupereſt hic breuiter eorum quæ contigerunt in Religione Chriſtiana, obſeruare conuenientias quaſdam cum regnante tunc cœlorum diſpoſitione. Vixerunt homines ſub lege naturæ obſcura, confuſa, imperfecta quamdiu mundus decurrit inferius hemiſpherium, in quo fuit nox, & tantum lumen Lunæ, tempore creationis, ſcilicet à prima domo ad octauam quæ nullum habet aſpectum cum illa prima domo tenebris merſa.
Succeſſit lex Moſaïca, in qua, dicit Apoſtolus, eramus filij, non liberę, *Gal. 4.*
ſed ancillę, ſerui ſub legis oneribus, quæ patres ferre non potuerunt: huic ſeruituti quis neget optimè conuenire Saturnum, vt exponit author pag. 24. Liberatio fuit in plenitudine temporis, cùm ſcilicet mundus magnorum annorum ſerie, peruenit ad finem ſuæ circulationis, ſcilicet ad duodecimam & vltimam cœli domum. Verbum diuinum humanam aſſumpturus naturam annuntiatur virgini per Gabrielem, ſecundum Cabaliſtas, Angelum Lunæ cœlo-terreſtris, eſt enim elementis proxima,
inquit Ficinus, proportionem cum his habent non mediocrem, mutabi- *In Timæi*
leque nonnihil, vices tamen agit Solis, nunc clara, nunc obſcura, ſic *cap. 20.*
optimè referens, mixtam miraculis & infirmitate Chriſti hominis Dei vitam in hujus ſæculi nocte. Æterna ſapientia mundum volens docere, incarnatur in domo & ſextili Mercurij qui ſapientiæ præſidet; In eadem cœli parte quæ vt dicit author pag. 11. ſignificat primam diem creationis, in qua Deus fecit cœlum & terram, diem & noctem, naſcitur Chriſtus in quo nunquam ſatis miranda diuinæ ſublimitatis, cum humana infirmitate conjunctio. Reſtituitur mundus vbi prius fuit creatus, & lux intellectualis quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ibi ſplenduit, vbi primum effulſit ſenſibilis. Fit hoc myſterium in Geminis ſigno Bicorporeo, quo ſignificantur duæ in Chriſto naturæ diuina & humana vt dicitur pag. 28. Volens Chriſtus ſe & ſuos ſpiritu ſuo viuentes, pro totius mundi peccatis Deo Patri ſatisfacere, naſcitur in duodecima cœli domo, quæ eſt inimicorum, carcerum, afflictionum, vt author exponit pag. 16. in fine, & de his quæ in ea domo acciderunt

Religioni Chriſtianæ pag. 28. & 29. Arcanum erat diuinæ prouidentiæ, hanc Religionem naſci medijs in calamitatum fluctibus, nullis humanis medijs, non ſcientia, non potentia ſęculari tretam, imò illis ipſis aduerſis ſibi accreſcere, quibus naturalia deficiunt, vt in poſterum haberetur diuina. Sed dum ſanguis Martyrum ſit ſemen Chriſtianorum ; dum hęc Religio velut flamma cœlo nata in cœlum tendens, circa materiam qua videbatur opprimi, circumfunditur, & hanc in ſe conuertit ; dum pro nocentis orbis expiatione patiuntur innocentes, eadem quæ placatur juſtitia, crudelitatis miniſtros debitis exagitat pœnis, in Iudaïci populi & templi deſolatione, cum mundus peruenit ad illius templi quadratum vt refert author pag. 32.

Renouatio mundi verè facta eſt, cum abſoluta ſua circulatione redijt ad primam domum, vt dicitur pag. 29. Tunc Conſtantinus Imperator conuerſus eſt ad fidem, miraculo crucis in aëre ſibi apparentis, dum illi pugnandum eſſet pro totius imperij ſumma. Congruit quod mundus ad angulum ſuum rectum & orientem reuerſus, habita ratione ſtatus in quo erat initio creationis, crucem effecit, de qua vide Marſilium Ficinum, & alias congruentias in figura vniuerſi pag. 28. ſub finem.

Lib. de vita cœlit. compar. cap. 18.

Nonne mirum eſt quod in figura particulari pag. 45. & 46. an. 100. ſæua fuerit perſecutio, dum occurrit caput Meduſæ Ceſſat an. 150. in corpore Veneris. An. 300. dum horoſcopus peruenit ad vndecimam amicorum in qua ſunt Mars, Sol, Mercurius, Conſtantinus Imperator conuertitur ad fidem, & illi fauet in omnibus. An. 450. in decima & corpore Iouis floret Religio, denique in nona in qua eſt Saturnus, naſcitur Mahomet & ſectam ſuam inſtituit, nobis hoſtilem & tyrannicam, flagellum quo Deus iuſtiſſimè Græcorum ſchiſmata contriuit. Hæc ſic ordine contingentia ſecundùm poſitam ab authore cælorum conſtitutionem, caſibus non poſſunt adſcribi, & fateor me mirum in ſtuporem adducunt.

Ergo-ne, dices, pendebit ab aſtris Religio, quæ tota eſt in animo ab aſtris libero ? Certè non pendet, ſed hæc bona malaque tum regnis, tum Religioni contigerunt Deo ſic ordinante, vtente felicibus planetis in bonum, infelicibus velut flagellis in malum & in pœnam quam priora ſæcula delinquendo meruerant. Potuerunt eſſe in cœlo quædam conuenientiæ cum verbi incarnatione, & incarnati miraculis, non quia cœli ſint rerum ſic geſtarum cauſa, ſed quia vt dicit Albertus, & vt expoſuimus ex Apoſtolo, Deus aptauit ſæcula his myſterijs, quæ quamuis non potuerint naturaliter præuideri, conuenientiæ tamen quas habent cum ſæculis ex poſtfacto potuerunt obſeruari. Abſit vt dicas hæc pendere ab aſtris quæ ſunt, vt diximus, inſtrumenta prouidentiæ diuinæ, quis enim tabellam ſæua aut delectabilia referentem, non imputet potius pictori, quàm penicillo & coloribus. Frequenter ſacræ ſcripturæ loquuntur de militia cœleſti, propterea quod Deus vtitur illa ad deletionem impiorum, id ergo juſtitiæ ſuæ tribuendum eſt, ſicut principi datur gloria victoriæ per exercitus ſuos reportatæ ; Ignis deſcendens de cœlo conſumit armenta Iob, dicit tamen vir ille ſanctus, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen eius benedictum. Nam ipſe poſuit pluuijs legem, & viam procellis ſonantibus, habet juſtitiæ ſuæ miniſtros, infœlices planetas, ſicut ſpiritus procellarum quæ faciunt verbum eius, & vt dicitur in Apocalypſi, tenet ſeptem ſtellas in manu ſua, vt illis ad libitum vtatur.

In ſpeculo Aſtronom. c. 11.

Iob. 1. & 28.

Pſ. 148.

Apoc. 16.

AN

AN FVERIT VTILIS FATI *mundani contemplatio.*

CAPVT. X.

NOn ſit ſatis naturæ, id eſt diuinæ pronidentiæ, quæ nobis dedit faciem in cœlum erectam, ſi non illud mente potius quàm oculis contemplemur. Cœlum artis diuinæ machina eſt multiformis, ad inferiorum regimen parata, quam non intelliges, niſi videas quæ per ordinem in ſæculis motu ſuo harmonico eleuet, premat, ſemiuiua nouis naſcentibus obruat, quomodo ſingularia contemperet vniuerſalibus, & vt ait D. Auguſtinus, Magnum carmen ineffabilis cuiuſdam modulationis excurrens, præludat æternitati. Hoc eſt maximum Sapientiæ munus, inquit ſapiens, ſcire præterita, æſtimare futura, ſcire ſigna & monſtra antequam fiant, & euentus temporum & ſæculorum. Humana mens immortalis, ſupra tempus eſt, cum tempus metiatur & de æternitate diſſerat, ita temporis partes omnes putat ad ſe pertinere, illas complecti vult, ſed delibatis præteritis & præſentibus, in futurum velut in finem auidiùs transfertur. Populis omnibus videmus innatum prænoſcendi futura deſiderium, vnde conſtat eſſe naturale, ſic bonum ab authore naturæ nobis ad gloriam ſuam noſtrique tutelam ſapienter inditum; nam præcipuæ paſſiones quibus agimur, amor, deſiderium, ſpes, timor futurum reſpiciunt, & vexant animum propter obſcuram futuri cognitionem. Vt igitur corporis, ſic his animi morbis, de remedio prouiſum eſt, diuina quippe bonitas nobis non indidit appetitum qui torqueat, negatis medijs quibus poſſet ſatiari, ſi dedit oculis lucem qua corporis greſſus dirigantur, ſanè noluit mentem humanam cæcitate damnare vt penitus futurum ad quod omnes actus ſui tendunt, ignoret, & dum non videt ante ſe poſita, bonum appetens, in malum incurrat. Videtur quidem prudentia cæteris virtutibus præferre facem, ſed admodum exiguæ lucis, nam futurum, quod in mobili, liberaque mente ſemper varium eſt, fruſtra de præterito colligit, ſic vt illiſmet quibus ſibi conſulere putat artibus, ſæpè deludatur: vnde multis viſum eſt Deum humanis mentibus hac in neceſſitate non defuiſſe, ſed propoſuiſſe cœlum vt librum, in quo mortales immortalia ſapientiæ ſuæ decreta, ſæculis poſitas leges, opportuna rebus agendis tempora, futurique ſigna non obſcura perlegerent. Quid-ni Deus in fœlici ſua æternitate tempus omne præueniens, voluerit mentem humanam imaginem ſuam, hujus lucis participem eſſe, & futuri aliquo modo præſciam. Ab initio mentibus Angelicis impreſſit rerũ futurarum ſpecies, ſanctis, imò peccantibus, aliquando ſpiritum prophetiæ concedit boni cujuſdam publici gratia; at cum ſimus paulo minus ab Angelis; cum tam neceſſaria futuri cognitio, non ſit ſemper à miraculis petenda, ordinariè videtur ſtudio, & licita cœli contemplatione comparanda. Sapiens aſtrorum peritus, eſt velut mundicola, nam inferiora mundi ad ſuperiora contemperat, ſicut agricola colit agrum pro ratione terræ & aëris, atque ſicut oua, gallinæ, ſic opportunè terrena ſubijcit fouenda cœlo. Quod efficit ſemper ipſe Deus, & faciendo docet, ſuadetque facere vt à ſuperis infima generentur, moueantur atque regantur, vnde Plato in Phædro dicit ſcientiam hanc priuatis publiciſque Græcorum rebus vtiliſſimam fuiſſe; quod & Albertus Magnus libro qui inſcribitur ſpeculum aſtronomiæ, pluribus probat argumentis.

Sap. 8, 8.

Marſil. Ficin. in Apologia

Vanas, prophanas, tartareas inquiſitiones futuri, horremus tota mentis intentione, deteſtamur velut abominabiles priſtinę ſuperſtitionis

reliquias, ſed quis dicat illicitum eſſe ſpeculari qualis fuerit, vt ele-
mentorum, ſic cœlorum ordo à Deo in ipſa mundi creatione conſtitu-
tus, & quis mentis oculos velit claudere, ne videant tot inſignes effe-
ctus in magnorum annorum decurſu tali ſigoorum & ſyderum poſitio-
ni conuenientes, hos tantum ſibi propoſuit author recenſere, non cauſas
inquirere, vt humiliter profitetur pag 19. Nos autem his feliciter in-
uentis aliquid ſuperaddentes, & ne quis latentes illas cauſas in fatalem
neceſſitatem contra mentem authoris falsò detorqueret, diximus ca-
ſus humanos ſæpius cœlorum conſtitutioni congruere, quia Deus vtitur
cœlo velut prouidentiæ ſuæ inſtrumento; expectatque conuenientes
eius diſpoſitiones, vt vel dona bene meritis largiatur, vel vt reos debi-
tis caſtiget & erudiat pœnis, ſalua ſua, & hominis libertate. Suæ quidem,
quia cùm non pendeat à creaturis, poteſt vt libuerit cœleſtibus inſtru-
mentis vti & non vti; poteſt inter vires maleficas, inter propinata vene-
na; ſibi charos, ſaluos ſecuroſque ſeruare. Manet etiam homini ſua li-
bertas, qua poteſt oblatam ſibi gratiam gratus excipere; & etiam dum
inſtat iræ dies, pœnitentia ſua judicem placare, ne tradat eum tortori-
bus, ſcilicet maleficis puniendum. Adhuc quadraginta dies, & Ni-
niue ſubuertetur, Niniue tota erat iniquitas, deletur per pœnitentiam
iniquitas, ſic deletur Niniue, ſaluis ſuis mœnibus & ciuibus. Adeſt euer-
ſionis tempus, adeſt infauſta cœli conſtitutio, ad deletionem hoſtium pa-
rata, ſed quæ non attingit pœnitentes, quia jam non hoſtes, ſed amici
Dei facti ſunt, ſic licèt Regno Iſraëlitico eadem quæ cæteris occurreret
per ordinem ſæculorum, infœlicia tempora in quibus ſæpè Deus reges
poſuit in compedibus, velut vas figuli virgâ ferreâ confregit; Dauidi
tamen promittit æternam regni ſedem, ſi cuſtodierint filij ſui diuinum
Pſal. 13. teſtamentum. Sic Ezechiam naturaliter morti proximum, ſed pœniten-
tem, vitæ, ſanitatique reſtituit; ſic innocentes pueros in medijs flammis
4. Reg. 20. illæſos, viuum Ionam in ventre cœti, Danielem inter ora Leonum, ſal-
uos ſeruauit, inuito quo jam hi omnes addici videbantur fato. Chariſſi-
mi, inquit D. Ioannes, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam
Ioan. 1. c. 3. habemus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam
mandata eius cuſtodimus. Tunc enim, inquit D. Auguſtinus, priuatæ
D. Aug. legi præfertur vniuerſalis, ideſt diuina ſapientia, cui dum ſumus chari-
lib. 83. tate conjuncti, efficimur Deiformes omnipotentiæ ſuæ participes, ſic vt
quæſt. 79 nobis omnia videantur eſſe ſubjecta. Vis ergo rotæ, vt expoluimus vo-
lubilis aculeos, vimque maleficorum per vices venientem, illæſus per-
tranſire, ſectare iuſtitiam, humiliare ſub potenti manu Dei; ſcuto cir-
cundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à ſagitta volan-
te per diem, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmo-
nio meridiano; tibi non nocebit Saturni latens malum, Martis æſtus,
fraus Mercurij; conculcabis leonem & draconem, ad lapides illos in
vitæ via poſitos non offendes pedem tuum, quia Angelis ſuis mandauit
Sap. 1. 14 de te. Quoniam inquit Sapiens, Deus mortem non fecit, nec lætatur
in perditione viuorum, creauit enim vt eſſent omnia, & ſanabiles fecit
nationes orbis terrarum; non eſt in illis medicamentum exterminij, nec
inferorum regnum in terra, juſtitia enim perpetua eſt, & immortalis;
Ideſt licèt populis & ſocietatibus, infœlix cœli ſtatus præſens minetur
Eph. 6. interitum, ægris elixit, afflictis præſidium & aſylum eſt, juſtitia. Eſt ar-
matura fortis contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, vt in die malo
poſſint perfecti milites ſtare, Dum autem hinc & hinc à latere tuo tot
hominum millia cadent, & ſtragem patientur à maleficis; monet pro-
pheta oculis tuis conſideres, quæ vitaſti pericula, vt hinc intelligas
quantum debes virtuti, quantum diuinæ miſericordiæ quæ te ab illis
immunem præſtitit. Ita juuat bonos noſſe, priuatum, publicumque fa-

tum. Sed id præuidere & præcauere peccantibus multò magis neceſſarium eſt, vt præcognitâ maris tempeſtate nautæ contrahunt vela, & timent quod tunc fieri ſolet naufragium, licèt non ſemper fiat; Ita quamuis omni tempore malis timendus ſit vindex Deus, tunc tamen magis timetur cùm inſtat dies judicij, cùm arcum ſuum tetendit & in eo parauit vaſa mortis per occurſus infortunarum, quibus, vt dictum eſt, ſo- *Pſal.76.*
let puniendos peccatores tradere, definito cælorum circuitu, vox toni- *Pſ.109.*
trui tui in rota qua terret, qua confringit in die iræ ſuæ reges. Cum Iu- *1. Mac.3.*
das Macabæus perambulans ciuitates Iuda, perdebat impios ex eis, eo *Pſal.28.*
accedente timebant impij. Ita paſſim in ſcripturis dicitur Deus viſitare *Iſay. 13.*
ſuper iniquitates & ſcelera populorum; quia cœlos habet velut iuſtitiæ *26. &c.*
ſuæ miniſtros, quibus ſtatis per circuitum temporibus, luſtrat terram, & *Iob.38.*
vt ait Iob, excutit impios ex ea. Et hinc antiqui θεοὺς dixerunt à θεῖν: *Plato in*
ideſt à currendo. Si ſibi timent mali, dum cœlum micat ignibus, con- *Cratilo.*
cuſſa terra dehiſcit, ſi dum monſtris & prodigijs ad magnas in mundo mutationes natura ſe præparat, quid ni contremiſcant dum occurrunt in figuris regnorum infœlices illi planetæ & aſpectus, tot illatis aduerſis, quæ recenſuimus, famoſi.

Sic author pag. 32. in fine. Timendum dicit eſſe diluuium, cùm cœli diſpoſitio fuerit eadem quæ fuit tempore primi diluuij, Saturno ſcilicet ad Cancrum horoſcopum redeunte, & horoſcopo vel decima ad octauam mortis. Id autem continget vt ait. An. Chriſti 2158. quibus ſi addas 3972. annum mundi quo natus eſt Chriſtus fiet 6130. à mundo condito. Hæc conueniunt cum his quæ refert Picus Mirandulanus in heptaplo. Dicunt, inquit, Iudæi Talmudiſtæ, ſex dies creationis mundi ſignificare ſex millia futurorum annorum mundi, ſinguli ſuum mille, vnde vulgare eſt apud eos Eliæ oraculum, ſex mille annorum, mundus, duo mille inane, duo mille lex, duo mille lex Meſſiæ, inane vocant tempus ante traditam vllam hominibus legem. Chriſtus di- *Habac.3.*
citur natus in medio temporum, quia ab initio Sagittarij in quo contigit diluuium, vſque ad initium Geminorum, ſunt ſex domus, & totidem à Geminis ad Sagittarium in quo dicitur iterum metuenda terrarum inundatio. Sed, inquit author huic conjecturæ præualet diuinum oraculum Gen. 8. non perdam vltra diluuio omnem carnem, ſi fiat non erit vt prius, vniuerſale.

Hæc breuiter recenſuimus quibus nobis videtur innocens huius opuſculi contemplatio, quæ mentes futuri & vniuerſalis cognitionis auidas paſcit, cæcas dirigit, audaciores metu continet. Eſt officioſa cœlis qui lucent & irrequieto motu die nocteque ſe proferunt, vt in illis obſeruent homines quæ poſuit creator in ſigna & tempora. Eſt Religioſa erga Deum cujus enarrat gloriam ex miris miſericordiæ & iuſtitiæ ſuæ operibus, & torpentes animos excitat, vt ipſum agnoſcant, laudent, ament, timeant. Pietatis officium eſt erga patriam & Eccleſiam, ſi aſtrorum peritus, velut ſpeculator ex alto videns gladium venientem, ſignum det, *Ezech.33*
vt omnes ſibi caueant, & irato Deo per pœnitentiam, concilientur. O ſi *6.*
hoc propoſitum mundi fatum poſſet agere vices Ionæ prædicantis, & populos innocentium ſpolijs ditatos, cædibus inhiantes, per fas nefaſque, per ſtragem populorum & conculcata ſacra limitem regni protendentes, ſi poſſet eos, vt Niniuitas ad pœnitentiam cum Deo, ad pacem cum hominibus adducere, ſaltem irato cœlo, & proximum interitum minitante.

DICTORVM SYNOPSIS ET AN FATVM vniuerſi fuerit publicè proponendum.

CAPVT XI.

SI non de mundo & regnis, ſaltem de ſuo hoc opuſculo benè vaticinatus eſt author noſter, dum illud dixit varia atque contumelioſa paſſurũ eſſe iudicia. Bonis moribus ſanæque fidei contrarium, velut Religionem aſtris ſubijceret, inimica vox denuntiauit, vt ſparſo rumore præoccupatæ mentes & ipſo libelli titulo territæ velut portentum aliquod horrerent, & inauſpicatò naſcenti pararent interitum. Conati ſumus infames illas impietatis in Religionem & in patriam notas eluere, dum oſtendimus innocentem eſſe cœleſtium effectuum contemplationem, Patriarchis olim, nunc etiam ſanctis familiarem; leges prohibentes iudiciariam, de illa tantum intelligi debere, quæ liberis hominum actibus, diceret fatalem inferri neceſſitatem, non autem de illa quæ nauticam, agriculturam, medicinam, militarem dirigit, & quæ de hominis
D.Thom. 1.q. 115. a.4.ad3. temperamento aſtris plurimum ſubjecto tale fert iudicium, vt ad quædam inclinet, non cogat. Vult Deus ex ſuis operibus laudari; hæc eo fine ſapiens omnia contemplatur, & maximè cœlos, vnde nobis lux, motus, vis in inferioribus, vt mihi non videantur ſcire, qui primas illas rerum cauſas ignorant. Gyrum cœli circuiui ſola, inquit ſapientia. Docti non inficiantur, etiam ignorantes, alia quam ſtudio quæſita luce in Deum eleuari; ſed & ignorantes fateantur, etiam aliquos poſſe ſcientijs vti ad Dei cognitionem & dilectionem ſibi comparandam, vt modis ordina-
Rom.1. rijs naturæ noſtræ congruis; nam vt dicit Apoſtolus. Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: non inſultent doctis ignoran-
Ro. 14.6 tes, dum ignorantibus compatiuntur & indulgent docti, qui non manducat, manducantem non ſpernat; qui ſapit diem, Domino ſapit, gratias enim agit Deo, omnis ſpiritus laudet Dominum.

Profitetur author ea quæ refert de Religione Chriſtiana eſſe tantum congruentias cum cœlorum tunc occurrente conſtitutione, quas refert in diuinam ſapientiam omnia fortiter ſuauiterque ab initio ad finem vſque diſponentem, congruiſque locis & temporibus harmonicè contemperantem. Nos autem ex D. Thoma diximus Deum vti cœleſtibus, vt inſtrumentis ad juſtitiæ ſuæ executionem, ſic ſalua manet hominis libertas, quis enim enſis fabricam non imputet artifici potius quam malleo quo vſus eſt? quis iuſtitiæ decreta non referat in ſenatum potius quam in apparitores? & quis aſtris imputabit quæ medijs eorum viribus Deus exequitur, dum homines aut beneficijs aut pœnis afficit? Hæc mihi videntur ſic expoſita non pati controuerſiã, & ſi probatur Aſtrologia par-
L. 76. de Iudic. l. 56. de vſufr. l. 1 ff. quod cuiuſq. vniu. ticularis quæ præuidet morbos corporis humani; admittatur etiam oportet vniuerſalis quæ conijcit morbos cuiuſlibet ſocietatis, quæ ideo dicitur corpus, quia ad inſtar noſtri patitur ſuos ætatis gradus, pueritiæ, adoleſcentiæ, virilis ætatis, ſenectutis, deniquemortem, vt refert Plato libro octauo de Republica, Florus cap. 1. & cæteri omnes politici.

Vltimum quod objicitur eſt, inuentum hoc non debuiſſe palam proferri, ſed in myſterio & in arcanis haberi, ne tantæ rei majeſtas indiſcreta profuſione vileſceret, & ignorantium pateret incurſibus. Multum quidem authori gratulantur hanc cœleſtium contemplationem inter ſacra recenſere, & inter illa ſapientiæ decreta quæ dicit Apoſtolus, inter perfectos tantum exponenda. Et ſanè eam initio fuiſſe authoris & D. Mar-

chionis

Digitized by Google

chionis mentem facilè poteſt conijci, caſu tamen, rebus ex intentione non ſuccedentibus factum, vt ſic in plurimum manus deuenerit; ſed quis ob id debeat dolere vel indignari. Non profitentur Chriſtiani Iudæorum Cabalam, Valentinianorum æonas, Gnoſticorum ænigmata; velum templi ſciſſum eſt, ejectus è mundo princeps & doctor tenebrarum, vult Chriſtus qui palam docuit ſuos, quæ profitentur ſimiliter palam docere; quæ in aure audierint, prædicare ſuper tecta, nec inſtar meretricis furtiuas aquas, eo ipſo titulo ſuſpectas propinare. *Prou. 9.* Si hæc de fato mundano doctrina, habet aliquid quod ſapientum iudicio non probetur, poteſt ex ea parte corrigi, poteſt in totum, ſi meretur, ſtatim vt prodierit extingui, nihil fiet contra mentem authoris qui ſe iudicandum humiliter ſubmiſit Eccleſiæ. Innocentiæ ſuæ argumentũ eſt, quod ſe proferat, nec velit occulta diſciplina graſſari. Quod ſi opus hoc habet aliquid Philoſopho Chriſtiano non indignum, ſi ſpeculationi, ſi regimini lucem afferat, ſi pietatem erga Deum his ſapientiæ ſuæ legibus & inſtrumentis promouet, ſi populos metu diuini iudicij ad pacẽ & pœnitentiam adducit, non ſine numinis prouidentia factum exiſtimo, vt in publicum prodierit. Bonum eſt, lux eſt, diffundatur, & ad exemplum cœli objecti ſui, ſic fulgeat, vt omnium exponatur oculis: ſapientia clamitat in plateis, in medijs ſemitis ſtans, cur obſtas? *Prou. 8.* Inuidia procul eſt à rebus ſacris, inquit Plato; Cur fontes tibi tantum vis fluere, prata ridere, ſolem lucere, Chriſtum naſci, templa, ſacramenta, virtutes, gratiam beatitudinis patere. Id ipſum quod maligno & auaro genio cęteris tentas detrahere, tibimetipſi negas; nam hæc contemplatio in ſuis adhuc inculta primordijs facilè poteſt aliorum obſeruationibus, per additamenta, ſicut cæteræ ſcientiæ & artes, perfici. Habes fortè quod mireris, non habes quod adijcias; alijs concede materiam, concede tempus, quo tibi, ſibique fœliciter laborent; ſi nunc tibi placet immatura pulchritudo, quid cùm extremam illi manum decens ætas adhibuerit? Da liberum fluuijs ab origĩne ſua decurſum, quo ſociatis aquis incrementa, vireſque commercio neceſſarias accipiant.

At, inquis, hac contemplatione plures poterunt abuti, ſed numquid ſolem auferes de cœlo quia luce ſua vtuntur adulteri vt concupiſcant, homicidæ vt ictus ſuos dirigant & humanum fundant ſanguinem, Deus dedit libertatem homini etiam ea malè vſuro, nam, inquit D. Auguſtinus, melius iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla eſſe permittere; *D. Aug. in Enchir. c. 27.* Chriſtus naſci voluit, etſi multis futurus eſſet in ruinam, ſacras nobis dedit ſcripturas, etſi earum occaſione tot natæ fuerint hæreſes, nec interdicimur Dialectica, Phyſica, Politica, Rhetorica, cæteriſque ſcientijs quibus ipſi ſectis ſuis, lucem, ornatum, vires tribuunt.

Cæterum ne propalatam nimis arguas hanc doctrinam, talis eſt enim vt videntes non videant, nam loquitur tantùm peritis quorum exiguus eſt numerus, his tantùm licet noſſe cœleſtium cum effectibus conuenientias, & ex præterito colligere futurum. Id prudenter non expreſſit author ne imperiti rebus, non ſcientiæ ad Dei laudem prolatæ, attendentes aliquid præter rationem molirentur, id etiam conſultò factum eſt vt aliquid legentium induſtriæ relictum ſit & ne videretur peccare in leges Eccleſiaſticas.

HAS, Illuſtriſſimi, rationes, hæc Patrum Eccleſiæ decreta rogatus exhibui, quibus mihi videtur, ſaluo veſtro, & ſanctæ Eccleſiæ Romanæ iudicio, opuſculum hoc ab illatis contumelijs vindicandum; non importunam nec ingratam opinor eſſe cauſam hanc vobis, etiam feriatis; nam iuſtitiæ conſtantis & perpetuæ ſapientiæ nullos fori limites patientis munus eſt, idæam mundani regiminis ſemper contemplari, & qua ratione Deus, jus ſuum vnicuique ſæculo reddat. Magnum ſpectaculum, ſed ampliſſimis veſtris mentibus breue, cum ſæcula non ſint niſi minutæ horarum, & omne tempus ſit vna tantum dies laborioſæ vigiliæ præcedens æternam proximamque quam ſperamus feſtiuitatem. Vt hic maximum pro minimo eſt, ſic viciſſim exacta pietas minimum habet pro maximo; ſi ſæculum eſt vna dies, ſapiens ſcit nihil intereſſe inter diem & ſæculum, ſic properat viuere, vt ſingulos dies ſingulas vitas putet, hocque ſe modo ſecurus aptat, vt vita ſua quotidie ſit ſibi tota. Momentum eſt quod laborant, negotiantur, regunt homines & ex momento pendet æternitas.

Seneca Epi. 101.

FINIS.

A01 1473601